Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0001-7

Ex relatione publicâ
cuiusdam docti ac fide
dignj civis Pragensis
1622 mense Novembrj.

Es ist auch M. Iohannes Cam
panus einer von denen vor=
nehmsten Evangelischen
Professorn alhier zu Prag
fälschlich worden, undt am
dritten tage nach seinem
schändtlichen abfall in
grosser verzweifflung
(: andern zum exempel :)
plötzlich gestorben ꝛc.

Constat
9½ g.

3:00 May

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0004-4

# M. JOHANNIS CAMPANI VODNIANI ODARUM SACRARUM.

*LIBER PRIOR*

Pſalmos Davidicos continens.

Gerhardus Wan phalus menſe Iunio Ao 1620.

Carol Heinrich Bos.

AMBERGÆ,

Apud Johan. Schönfeldium.

ANNO M. DC. XIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0005-0
DFG

UNITATIS TRINITATI,
TRINITATIS UNITATI,
RERUM PATRI DEÓQUE VERO.
MUNDIQUE CENSORI SEVERO.
VINDICI BONO BONORUM,
JUDICI SÆVO MALORUM.
DANTI PIARUM JURA LEGUM,
DUCI DUCUM REGIQ. REGUM.
HOC POEMA REGIUM,
LAUDIS OFFERTORIUM,
MERITI DICTAMEN HONORIS,
MONUMENTUM DULCIS AMORIS
DE SORTE DURA LIBERATUS,
A MORTE DIRA VINDICATUS.
POST TOT ATRA NUBILA,
LÆTA CERNENS JUBILA.

Sionijs Muſis aMIcus dedicat,
Reusq; voti mite numen prędicat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0006-6

# AD LECTOREM.

PRodit tandem (Chriſtiane Lector) prior odarum mearum liber, quo eventu
θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται.
Ego ſanè, dum prodeuntis ornatum video, ut ſubſtet hoſpes metuo, in tanta præſertim judiciorum varietate, & ſeculi noſtri iniquitate, proni μωμεῖσθαι μᾶλλον ἢ μιμεῖσθαι. Alii igitur me Iliada poſt Homerum ſcribere, cum poſt Flaminium Italum, Bucananum Scotum, Majorem Germanum, Crinitum Boëmum, Paraphraſes Pſalmorum edo, cavillabuntur. Alii formam & modum ſtyli, barbaræ ætati uſitatum, per me revocari, & limpidos Maronis fontes lacunis turbidis, pollui turbarique ſtomachabuntur: neque fortaſſe deerunt, qui Dedicationem, ut inſolentem & novam, mirabuntur. Horum itaque omnium judiciis, aut potius præjudiciis occurſurus, operæ precium me factu‑rum putavi, ſi cauſas inſtituti mei al‑

tiùs repeterem exponerémque. Anni complures ſunt elapſi, cùm ad examen pro gradu magiſterii vocatus, occaſione hoſpitii in optimi viri Georgii Benedicti familiaritatē incidi, qui mentione injecta cantionum M. Venceslai à Radkova civis mei, Vitebergæ anno 1554. cum pręfatione Melanchthoniana editarum, cùm ego negarem opus illud mihi eſſe viſum, non tantùm exemplar protulit, ſed ultrò meis uſibus obtulit. Mihi tamen eo tempore Turcicorum Tyrannorum deſcriptionem molienti, libellus ille theſaurus occultus fuit, καὶ κτῆσις μᾶλλον ἢ χρῆσις. Clauſula quidem Senariorum eidem operi à M. Matthæo Collino de Choterina Gurimeno præfixorum (ea ejuſmodi fuit.

*De laudibus*
Autoris hujus Muſicæ dicam nihil.
*Hoc opto tantùm: proferat Reſpublica*
*Vodnana tales ut viros frequentiùs*) animum meum, non nihil pupugit: ego tamen, qui videbā, Victorinum à Greiſnberg, M. Johannem Hippium, Volfan-

gum

gum Piſtorium, Rhacopæos, Pelargos, ut minùs occupatos, id melius tentare & perficere poſſe, ad alia me recepi. Interea poſt editam Turciam prodeunt etiam Charites meæ, ſed mendis (quas ego ad Scholarum Cuttnenſium regimen admotus, & à Typographeo ſummotus, tollere non poteram) variè fœdatæ. Eo libello qui ſe peti putabat, meus alioqui familiaris & amicus, minùs amicè & familiariter me tractavit, ingratum in Gratias meas calamum ſtringens: ſed ubi Periculis ſuis poëticis periculum patientiæ meæ fecit, non nihil de irâ remiſit.

Verumenimverò quia non me ſolũ, ſed Profeſſores etiam, cæteroſq; in Boh. viros doctos ſugillârat, Rector Academiæ M. Joh. Biſtricenus à Bochova, cum conſilio ſuo vindicias parabat: ad earum famam *καλαμοβόας* ille irritatus (ut eſt *genus irritabile vatum*) è Belgio uſque, ἀφ᾽ ὑψηλοῦ ἡμᾶς καταγελῶν autoſchediaſmatum ſuorum tela evibravit, quo tempore ego in Academiam

miam revocatus, & paulò plus ocii nactus referire potui: nec laceſſito animus defuit:

Ἔνεστι γὰρ μύρμηκι καὶ σέρφῳ χολή.

Erantque, qui ſubiratum inſtigarent: Cordatiores tamen & pacis ſtudioſiores iſtas Archilochi veſpas, ὧν ὄψον κακολογίαι, negligendas eſſe judicavêre, negantes fumantem urſi naſum tentandum, & Bacchæ bacchanti adverſandum. Eorum igitur alii factum æmuli luſum puerilem vocabant, alij temeritatem, plerique Plumbeum pugionem, telumque imbelle ſine ictu. Ad horum ſententiam, ut æquiorem, inclinanti, nondum tamen ſatis confirmato, percommodè venit in mentem cantionum civis mei, quarũ, re ſecundâ, eram oblitus. Ut igitur animo fluctuanti & vindictam ſpiranti frenum injicerem, & venam meam poëticam circu piarum meditationum includerem, de Cantionali Scholaſtico ad illius Rhythmici exemplum concinnando cogitare cœpi, præſertim cum cives meos (quorum ſupe-

ſuperiùs memini) Oeconomicis & Politiciscuris implicari viderem. Ita mihi ex hoſtibus fructum capienti de æmulo meo meum illud uſurpare licebat.

*Cos mea me quidam cupiebat lædere, juvit:*
*Sic mihi ſic hoſtes ſæpè nocete mei!*

Sed ut ſunt humana, diurna potiùs quàm diuturna, meus ille Cenſor qui (quod ſæpè faſſus eſt) aliorum impulſu me pupugerat, ipſe ferro pungitur, ſed (ut veteri verbo in re nova utar) per meum latus. Sublato enim æmulo, ſublatus eſt meus ad ſcribendum impetus. Uſq; adeo Strenua eget Stimulâ, miſerumq; ſine rivali amare! At meliore meo fato inimici ſtimulis amici induſtria ſucceſſit. Vir enim doctiſ. M. Laurentius Benedictus, &c. Pſalmographiam ſuam Bohemico carmine ſcriptam mihi monſtravit, quo opere genium (niſi me meum judicium fallit) habituro, me ad amicũ in illa materia certamen quaſi provocavit, utq; ille meo exẽplo rhythmũ metro copulare, ita ego ipſum ſecutus, plures Pſalmos reddere

& Dominicalibus feſtivalibusque odis interſerere cæpi, quâ occaſione Cantionali naſcenti, Pſalmi pœnitentiales & Catarartici irrepsère, quorum hi Rev. viro S. Zachariæ Bruncvicio Decano Zacenſi, iiſdem mecum διαβολίας telis petitio inſcripti: illi vero cum Metameleticis M. Johannis Roſacii, hujus fratri M. Adamo de Carlſperga, Primati Suticen. & alijs miſſi, diverſa diverſorum judicia ſubiêre. Quidam enim, cum Ioh. Zeletavino de Rayove Poëta arguto, arbitrari me jam tũ paraphraſin totius pſalterii cogitare, ſerò me putabant, poſt tot Metaphraſtas odas illas moliri, ὡς μετα λέσβιον ᾠδόν. Alii, quòd ſciebant, me aliquos tantum pſalmos reddere velle, ut totum pſalterium redderem, partim literis ad me datis, partim editis Epigrammatis, meum animum impellere ſtuduêre: & horum quidam lectis, quæ de nomine JESU M. Johanni Nepeſſio, M. Lucæ Ezechieli civi meo, M. Johanni Craloviceno Primatibus Zacenſium, Glattenſium & Taborenſium.

ſium, inſcripſeram, quæ item pueris de pueri Chriſti nativitate ſtrenæ loco donâram, ægrè ferebant me talibus, quo minus Pſalterium continuarem, retardari. Scholarcharum quoque nonnulli (in his M. Vencesl. Ripa, & Martinus Mylius) eaſdem meas odas in Scholas admisêre. Hæc tamen quia ferè ab amicis fieri videbam, ne mihi Suffenus eſſem, non valdè curabam. Amore enim mei pluſculum iſti ſcriptioni tribui putabam. Verumenimverò cum in illis quoq; Scholis, quibus nullo mihi devincti beneficio præerant; eaſdem odas cantari audirem, ne deſcribendo juventus fatigaretur, cœpi non tantùm continuationem, ſed editionem quoq; cœpti operis meditari. Tot autē ſtimulis hinc amicorū, inde inimicorum impulſum Paul⁹ Geſſinius D. Joh. Smili de Michalovicz, magni illi⁹ & admirādi ingenij, informator ſolertiſſimus planè perpulit, & (ut dicitur) plauſtrum perculit, domeſticorum & exterorum nomine orans, ut ſacratiſſimum illud Spi-

ritus Sancti enchiridion, & doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ theſaurum (pſalterium dico) totum paraphraſi donarem. Hęc de impellentibus ſcripti mei cauſis. De formâ non nihil addendum. In eà quoq; multi multa deſiderabunt. Alii rhythmo Horatianę lyrę ſuavitatem excluſam, alij verſum verſu redditum, alii ſcabritiei ſuperſtitioſam fugam, & vocis Jehovah crebriorem uſum, & interdum contractæ correptionem, alìi alia notabunt. Cum primis memini facere M. Danielem Scheneium, poëtam & Philoſophum acutiſſimum. Is enim Fortunæ luſu (quem ludens in rhythmos conjeceram, & Nicolao Roſebergeno Tuſtæ Senatori, meo, tanquam patri, patrono nuncupatam) lecto, miratus eſt mihi Monaſticas illas lacunas præ fontibus Maroneis placere. Sed cùm ego in ſententiá permanerê (ut qui ejuſmodi homęoptotis & homæoteleutis, in cantu præſertim, miram quandam ἐνέργειαν ineſſe viderem, & autores graves M. Jacobum à Varvaziova

Rochec-

Rocheczanum,& M. Johannem Roſacium haberem) ipſe quoque hanc ſcribendi rationem uſurpavit. Verſum verſu cùm reddere ſtudui, mihi potiùs, quàm aliis, injurius ſui. In eas enim anguſtias me conjeci, ut ſæpè multũ diuq́; in uno verſu me torqueri eſſet neceſſe. Id quidem in Prolixis carminum generibus, tetraſtichis nimirum, & octoſtichis, ubi (quod facilè eſt) pauca multis reddenda erant, ut Pſal. 38 & aliis paucis) operoſum non fuit: at multa paucis dicere (quod difficilimũ putant, quodq́; Pſal: 20. & multis aliis à me factitatum eſt) leve non fuit. Mihi tamen canentium tædium levare, & pſalmos è longis breves facere conato, gravis ille labor levis viſus eſt. Scabritiem, aurium judicium ſecutus, eliſiones verò pueris inter canendum hallucinantibus conſulturus, ſtudioſè vitavi. Jehovæ voce, Henrici Molleri exemplo, ſæpè utor, eamq́; interdum etiam contractam corripio, authoritatem Buchanani ſecutus, quo vate Flaccus & alii pagani poëtę, Pro

Jove nunc diſcunt poſſe ſonare Jovam, ut de eo Henr. Steph. ad initium Pſalm. 82. alludens, argutatur.

In dedicatione amicorum ſententiam non ſum ſecutus. Geſsinius meus, ut Cymbalis illis mundi, & luminibus columinibusq́ue Studiorum, præſertim Rittershuſio & Taubmanno, hæc mea conſecrarem ſuaſit. Sed ego tantis artificib. nihil niſi à divino ingenio, & acri judicio curaq; profectum, perfectumq́; mitti debere facilè intelligebam, & verò hæc mea, perquam exilia eſſe, καὶ λύχνον ὐκ ὄζειν videbam. Erant quoq;, qui regi novo novam Pſalmorũ paraphraſin dedicandam putabant: quod conſilium ſequi libuiſſet, ſi licuiſſet. Verumenimverò neque me hæc mea jam antè magnâ ex parte aliis inſcripta cuiquam mortalium nuncupare, & unâ filiâ duos generos quærere, decebat, neq; regi regum promiſſum factum, irritum facere licebat. Promiſi autem, ſi optimus ille ſuorum vindex, & ſupremus mundi judex, mihi Muſisque patriis ex illo diluvio,

vio, quod à Danubio, ad hanc uſq; noſtri orbis urbem exundavit, & acerbiſſimo multorum luctu redundavit, ſi inquam ex illâ per Paſſavienſes Æolos excitatâ tempeſtate Deus ille eluctari, concederet, Siq́ue regem cum regno, & in hoc meam patriam Vodnianam, ab iiſdem Martis pullis obſeſſam, liberaret, pollicitus ſum hoc ipſius protectioni & curæ paternæ, gratæ mentis teſtimonium monumentumq́ue. Ut igitur Martiali illa lue Pragam Minorem inſidente, & hanc noſtram quaſi obſidente, jacentibus aliis ſtudiis, in curam operis hujus continuandi incubui: ita periculo tanto defunctus, cōmittere nec potui, nec debui, ut σῶςρον Deo promiſſum diutius ineditum lateret; præſertim cùm viderem, Dei Opt. Max. beneficio illos Martis creperi ſtrepitus meis Muſis profuiſſe, & ſecundum Herodotum, παθήματα μαθήματα fuiſſe. Tunc enim mihi divinitus adjuto & ſervato, cum Davide & Aug. dicere licuit: *Magnus Dominus noſter, & laudabilis valdè. Hunc itaque*

*mens diligat, lingua canat, ſcribat manus, atq; in his ſanctis ſtudiis fidelis animus ſe exerceat.* Hanc igitur dedicationis meæ cauſam amici agnoſcent, ignoſcentque. Tu verò, Chriſtiane Lector, his meis, ſi lubet, utere, ſi non lubet, pueros, quibus ſunt ſcripta, uti patere, & vale. Dabam in Collegio omnium Sanctorum, aliâs Angelico, Palæopragæ, feriis Pentecoſtes Chriſtianæ 23. Maji, quâ Sereniſſimus & potentiſſimus Ungariæ Rex

MattHIas SeCVnDVs

regni Bohemiæ coronâ feliciter eſt redimitus; cujus regnum rex ille ſummus, regibus ſalutem dans, faxit tranquillum ſerenumque, ut (quod ante an. 65. Greg. Orinus à Chocemicz Pragenus Doctor, & Acad. Rector, precabatur) hæc Schola noſtra in ſtatu meliori conſtituta, ſuâ felicitate & pace gaudere, & optatam frugem ex ſe propagare, in uſum Eccleſiæ & reipub. poſſit,

Amen.

# AD LECTOREM.

*PRima fovenda ſacra pietatis cura, Camænæ*
*Hac primùm eſt pubes erudienda rudis;*
*Hæ ſunt delitiæ celſi Rectoris Olympi,*
*Hac ſibi nil quicquam gratius eſſe poteſt.*
*Surculus ut Domino, culti radicibus horti*
*Gaudia, ſuccreſcit ſi benè, multa parit:*
*Sic teneræ mentes dextra pietate modeſtæ,*
*Lætitiâ afficiunt pectora ſancta Dei.*
*Sed quibus illius pubes ſtudioſa colatur,*
*Ieſſides Pſalmis dulciſonis docuit.*
*Quos ſtudio vigili & diverſo carmine rhythmi,*
*Campanus vates texuit arte gravis.*
*Hos lege parve puer, diſces ſacra verba precantis,*
*Quæ Iova ſupplex ſupplice voce canas.*
*At Campane tuos quis non celeberrime laudet*
*Conatus? quis non hæc tua ſcripta legat?*
*Turba novena opus approbat, & Deus ipſe labores*
*Adjuvit, numeris gratia ſumma favet.*
*Perge viam, donec mens enthea, vivida mneme*
*Et patrium hiſtoriæ ſollicitè effer opus.*
*Invideat Momus, nihil hic, quod carpere poſſit*
*Inveniet, nihil hîc, invide Mome tace.*
*Non tibi, ſed Regi ſunt iſta dicata Iehovæ*
*Hoc, ſat erit Vatis vindice, tutus honor.*

M. Nicolaus Troilus Hagiochoranus.

Ergone

*ERgone jam prodis nimium expectate libelle?*
*Et vultu nivibus candidiore micas?*
*Vt metris, ut te rythmis concorporat autor!*
*Vt cadit ad numerū ſyllaba cuncta ſuum!*
*Spethe etiam eſt eadem nuper conatus; at ille*
*Sapè levem rythmum clauſula facta ſonat.*
*Et dum vulgari reſonat ſua carmina cantu,*
*Non eadem reſonant barbitos atq; pedes.*
*Hic Cythara concors eſt pes, non læditur auris,*
*Inq; animos penitùs peſq; ſonuſq; ruunt.*
*Ito liber, nec enim invideo, quòd præpete curſu*
*Debita Bojemus carmina noſtra prais.*
*Quâ nunquam via facta fuit, contendere conor:*
*Hoc eſt, ſuſceptum quod mihi tardat opus.*

## M. Laurentius Benedictus.

*SI mens ægra jacet, mæſto ſi corda dolore*
*Marcent, ſi ſiccis oſsibus humor abit;*
*Si mors tela jacit, tremulos ſi ſpiritus artus*
*Linquit, ſi toto pectore mæror ineſt;*
*Si veniunt hoſtes, ſi ſunt diſcrimina mille,*
*Nulla ſuum ſi pars ſuſtinet orbis iter:*
*Accipe Pſalmographum, capies ſolatia mille,*
*Omne malum cantu leniet ille ſuo:*
*Si fontem quæres, Hebræum ſumito textum;*
*In Græco pariter ſuavia verba leges.*
*Si Latium mavis; Scotum cape grande tonantem*
*Qui cantat vario verba ligata modo.*
*His addas vatis Campani carmina Lector,*
*Qui rythmo ævulgat ſuavia verba gravi.*

Ex

*Ex iſtis mæſtam poteris componere mentem,*
*Qui ſuperant Sophicos tempore quoq; libros.*
*Et dum pacata cernes ſolatia mentis:*
*Illorum, dicas, fama perennis eat.*

## M. Procopius Pæonius.

*SÆpe modos veſtros ad dulcia nablia junxi*
*Et campane tuos, & Benedicte tuos.*
*Nymburgum eſt teſtis mihi, teſtis & urbica pubes,*
*Cui ſub Dædaleâ Pallade jura dabam.*
*Audiet has etiam Germania ſæpe Camœnas,*
*Non fugient doctos carmina veſtra viros.*
*Quin etiam leget hæc Princeps doctiſsimus ille*
*Cattorum, Muſas qui bonus uſq; fovet.*
*Qui manibus clypeos & acuta cuſpidis haſtam,*
*Et galeam preſſâ ſuſtinet ipſe comâ.*
*Vt vobis igitur deſint cum ſtemmate lauri,*
*Sit ſatis à tanto principe poſſe legi.*

## M. Petrus Fradelius.

### I.

*DAvidicos olim Buchananus verterat hymnos*
*In cujus verſu lactea vena fluit.*
*Plus Campane facis, qui rythmica mella Latinis,*
*Inſtillas venâ lympidiore modis.*

II. *Iano*

Iane, Bohemiacas qui nunc feliciter urbes,
Conſilij exornas dexteritate tui:
Perge Scholas etiam ſcripti novitate juvare,
Davidis & quod habes nobile profer opus:
Crede mihi, noſtris poteris prodeſſe Lyceis,
Quando tuos Pſalmos mens ſtudioſa canet.

M. Venceslaus Rokycanſky.

PErfida mortales egit contentio multos
Pſalmographum è numero cui ſacra palma micet
Hic probat hunc, probat ille alium, contraria mente
Regula ſtat, cunctis tunc ibi Phœbus ait:
Cedite ſcriptores calamos deponite veſtros,
Iam qui me recreet Cygnus amanus adeſt.
Cygnus amanus adeſt, rythmorum & carminis autor
In terris ſoli huic florida palma micat.
I nunc, & ſolitos iterato Mome cachinnos,
Hûic poteris Cygnum num dare in orbe parem?

M. Lucas Bochauſius à Polknſtein.

FAceſſat impius Poëtarum chorus,
Tollat ſua hinc & ſomnia,
Non amplius vacare nugis geſtio.
Me Muſa ſurripit altior.
Inſuetus eſt mea ignis urens pectora,
Harens in ipſis oſſibus,
Campane vis Tui, Tui vis carminis
Totum mihi me ſurripit.

*Tua namq; metra digna Cedro perpeti,*
*Meis inerrant auribus.*
*Cuncta audio Lycea Iovam dulcibus*
*Tuis ſonent quòd cantibus*
*Pueri ſenesq; metra mirati nova,*
*Frequentius Iovam canunt.*
*Felix Poëta! Dii tibi dent mortuo*
*Quiete cæli perfrui.*

Martinus Mylius Vodnianus.

*Ad Libellum.*

*DOcte Liber prodi, quid commoda noſtra moraris,*
*Laudem, age iã prodi, qui modulêre Dei.*
*Magnus Bamiaca te genuit gentis Apello,*
*Et Phœbo & ſacris fidus AMICVs agris.*
*Quem ſtupet Elyſiis cantãtem Naſo ſub umbris*
*Miratur Vatum Dux quoq; Mæonides.*
*Docte Liber prodi, mentis qui tædia pellas,*
*Pectora triſticiæ dedita quiq; leves.*
*Te grati manibus juvenesq; ſenesq; revolvent,*
*Atq; canent ſummum, te mediante, Deum.*
*Ergò liber prodi, quid commoda noſtra moraris,*
*Laudem, age jam prodi, qui modulere Dei.*

Georgius Bergerus à Grinbergk.

*QVando ſacris numeris poteras, Campane, vacare?*
*Ocia nam ſtudijs nulla fuêre tuis.*
*Iam tibi Carolea, iam (ſub quâ nunc quoq; ſudas)*
*Angelica incubuit Præpoſituræ domus.*

*Sceptra Decanatus modò, Conſiſtoria tricis*
*Te modò ſollicitum diſtinuêre ſuis.*
*Adde quòd & caris das tempora multus amicis*
*Quiq; tua poſcunt plectra canora lyra.*
*Hæc Lector ſciat, & diſcat: quod in his hiat, Auctor*
*Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.*

David Gallus Zlutice.

*QVa tibi quæ tali reddam pro carmine dona*
*Dum Campane ſacrâ tendis ad aſtra Lyrâ?*
*Nam neq; ſic aures venientis ſibilus Auſtri,*
*Quàm lyra Davidici nos movet iſta metri.*
*Ipſe tibi cedit modulamine Thracius Orpheus,*
*Et ſatus Vraniâ Mercurioq; Linus.*
*Et certè Divum vincis quoq; carmine Phœbum,*
*Ipſe etenim Phœbus cur vociteris, habes.*

Joannes Malinovſky ab Hlavaczova Raconęus.

*O Campane mea non infima gloria famæ,*
*Tune tuum in vulgus carminis edis opus?*
*Sic eſt, edis opus Ieſſæi carmina Vatis,*
*Quæ turbato homini pharmaca prompta tenent.*
*Diverſos diverſa juvant, mihi metra probantur*
*Campani, hæc curis unica Muſa meis.*

Johannes Turca Teuto-Brodenus.

*In Pſalmos Davidicos*

# Librum priorem ſacrarum odarum V. CL. Dn. M. J. C. V.

*CVm referas uber Campana fertilis ora*
*Ingenij magna fertilitate tui*
*Nominis Auſonij Boiemis cauſa probatur*
*Induit hoſpes honor nec ſata fonte ſuo*
*Sed tamen illa parens quantumvis optima frugum.*
*Campana pelvi notior orbe ſuo eſt*
*Ærea qua ſparſos per compita fuſa domosq;*
*Convocat ad templi munia ſacra viros.*
*Sic licet Aonij cætus ſis maxima fama*
*A ſacro major carmine ſurgit honor.*
*Carmina quæ poſſunt nobis placare Tonantem*
*Davidicis numeris digna choroq; pio*
*Talia ſæpe ſones laudum: ſic præmia terris*
*Certa quidem referes, at meliora polo.*

Venceslaus Matthæus.

*CAmpanus Boemæ non ultima gloria terræ*
*Muſarum & Charitum nobile, dulce, decus,*
*Enthea Ießida donavit veſte recenti*
*Cantica: dum vario picta colore nitent*
*Dum grates, quoquo ſe vertat fundit odores*
*Qui ſapiunt ambram nectar olentq; ſacram*

Qui

*Qui reparant lapſas vitæ ſpiracula vires*
*Et vegetant ſuccis arida corda nobis:*
*Qui mæſtos animos, exhauſtas robore mentes*
*Humorum æthereo fonte ſubinde rigant.*
*Quisquis oppreſſus vario triſtiq; dolore*
*Huc ades, hîc omnis ſtat medicina mali.*
*Pneumatis hîc aurâ ſacri, Divumq; Nepenthes*
*Angelicis poteris te recreare vadis.*
*Hinc immortales datur exhaurire liquores*
*Hinc latâ æternum luce ſalute frui.*

Johan. Motovetius.

## *PSAL. I. Beatus vir, qui non abiit in conſilio, &c.*

ARG. Verè beatus quis? Pius.
Miſerrimus quis? Impius.

*Beatus ille, qui cohortis perditæ*
*Refugit ire tramite.*
*Nec ſedit unâ cum malis ſuaſoribus*
*Et improbis Ironibus.*
*Sed occupatus lege ſupremi Dei,*
*Hæſit dies noctes ei.*
*Eritq; qualis propter undas garrulè*
*Procera pomus rivuli,*
*Fructus colono quæ ſuo dat tempore,*
*Dives beato fœnore,*
*Comasq; diffundens ſuas per aëra*
*Fœcunditate proſperâ.*
*Non ſic erit; non ſic erit fax impia*
*Exlex, ſceleſta, devia*
*Pulviſculi quæ pondus abjecti ſapit,*
*Quem ventus huc illuc rapit.*
*Hinc judicantis non feret Dei ſonum,*
*Cum ſtabit ejus ad thronum,*
*Sed victa causâ fulmen ad pœnæ tremet,*
*Et triſtis æternum gemet.*
*Nam Iova juſtum novit, & juſti vias;*
*Gentesq; perdit impias.*

PSAL.

## PSAL. II. Quare fremuerunt, &c.

Nil Antichriſti nil valent,
Chriſtum petendo dum calent.

GEntes quid omnes vim rabidam tonant?
Voces inanes cur populi ſonant?
Agmen ducum, Regumq́ʒ miſtum
In Domini rapit arma Chriſtum.
Hinc inde denſi, quem Deus unxerat,
Cujusq́ʒ ſemper duxerit, eſt, erat,
Delere conantur potenter
Atqʒ dolos agitant furenter.
Soliq́ʒ ſecum: quin juga demimus
Collo rebelles, vincláq́ʒ rumpimus
Et, queis ſumus vincti, catenas,
Arripimusq́ʒ graves habenas.
At Iova tales ridet ab æthere,
Minas inanes quos videt edere:
Iraq́ʒ totus concitatur,
Et ſtomachans ita voce fatur:
Hac quó rebelles veſtra ſuperbia?
Cui ſceptra per me ſunt data regia.
Regnumq́ʒ ſemper in Sione
Ius rapiatis ei corona?
Sic ille: ſic rex vindice Numine
Tutus: meorum, dicit, in agmine,
Gratus Iehovam prædicabo,
Iusſq́ʒ pium Domini ſonabo.
Is dixit ad me: Filius es meus
Gignentis, hoc tu Nate die Deus.

*Si vis, tibi ſubmitto gentes*
*Solis utramq; domum colentes.*
*Qui ſceptra temnent nequiter aurea*
*Virgâ rebelles contere ferreâ,*
*Vt de luto quæ vaſa fingit,*
*Cum libuit, figulus refringit.*
*Vos ergo Reges jam reſipiſcite,*
*Et falſa veri lumine pellite,*
*Servite Iovæ cum timore,*
*Sit reverentia cum tremore.*
*Proli Tonantis figite baſia,*
*Ne vos per iram conterat in via,*
*Cum ſumit hic iras, beatus,*
*Fidere qui Domino paratus.*

## *PSAL. III. Domine quid multipli: &c.*

Pius precatur, haud fremit,
Preſſus crucem ſic ſpe premit.

*AH Iova, quot protervè*
*In me ruunt caterva?*
*Vexantq; me, feroces,*
*Has intonando voces:*
*Non huic ſalutis autor,*
*Non huic Iehovæ fautor,*
*Iam ſolus eſt relictus*
*Iam fractus, actus, ictus.*
*At tu, furente Marte,*
*A me, meâq; parte*
*Perſtas, meaq; laudis,*
*Vt ſemper, ultor audis.*

Te voce cùm vocavi,
Certus quòd impetravi.
Curis cubo ſolutus,
Et manè ſurgo tutus.
Cuſtode te, quid illæ
Queunt mali favillæ?
Has inter ipſe tutò
Te vindicem ſaluto.
Tu præmii mihi dux
Tu me prementibus Crux
Malas teres malorum
Denteſq́; perditorum.
Idem fovere juſtos
Perges, ut antè, cuſtos.
Tuaq́; cuncta curâ
Pelles acerba, dura.

## PSAL. IV. Quum invocarem exau, &c.

Summum bonum ſit impiis potẽtia,
Mihi Dei clementia.

IN rebus arctis fautor adhuc meus
Meaq́; vindex juſtitiæ Deus
Audi preces meas benignus
Cùm mihi damna parat malignus.
Quid vos, inanes Numinis, Impii,
Fumoq́; famæ futilis ebrii
Quid vana vani cogitatis?
Atq́; meum decus elevatis?
Iam ſcire tandem diſcite neſcii,
Veriq́; longè tramite devii

Quem Iova legit, intuetur
Audit, amat, fovet & tuetur.
Nunc ergo Numen noſcere diſcite
Iramq; forti pectore vincite:
Examinantes veſtra facta
Luce quies ubi venit acta.
Has victimas, has vult Deus hoſtias,
His qui litavit, ſpes foveat pias,
Proculq; ſervilis timore
In Domini recubet favore.
Pars magna vulgi divitias hiat,
Has per ſoporem turbida ſomniat:
Mihi ſat eſt, ſi me beantis
Irradiat facies Tonantis.
Hic ſolus autor lætitiæ meæ,
Huc mentis ardor nititur enthea:
Alter potens frugum meriq;
Has, ſino, jactet opes ubiq;
Illum gravabit ſollicitum dies;
At me levabit pacificum quies.
In ſpe, Deus, cùm me fovebis,
Vtq; fruar requie, favebis.

PSAL. V. Verba mea auribus. &c.

Dum fata dura plorat, orat, mens pia
Deiq; ſeſe ſuſtinet fiduciâ.

O Deus rerum Pater aure leni
Hi mei lamenta vacato threni
Atq;, quos triſti fero mente mæſtus,
Percipe queſtus.

*Vox, vide, quæ ſit mea te vocantis!*
*Qui meus clamor tibi ſupplicantis!*
*Rex, Deus, fautor, miſerum clientem*
*Reſpice flentem.*

*Manè clamantis miſeras, anhelas,*
*Anxias, audi facilis, querelas,*
*Atq; reſponſo releva iacentis*
*Vulnera mentis.*

*Namque tu latus pietate verá*
*Impios terres facie ſeverá:*
*Ne ſibi ſperet fore te benignum*
*Sperma malignum.*

*Ad tuos vultus trepidant nocentes*
*Quamlibet fraudum laqueis potentes:*
*Nec probas, curis ſtudijſq; ſi quis*
*Gaudet iniquis.*

*Hoſtis es falſum blaterantis oris,*
*Intonas dirùm cupidis cruoris,*
*Subdolos punis, prohibeſq; lætam*
*Tangere metam.*

*Interim ſedes tua me videbit,*
*Et tuæ laudis memorem fovebit.*
*Cum tuá pſallam bonitate fretus*
*Carmina lætus.*

*Tu mihi ſis dux, dubijſq; fatis*
*Ea tuæ me lux regat æquitatis:*
*Hoſtis ut caſſes fugiam minantis*
*Vimq; crepantis.*

*Lingua cui mendax dociliſq; fraudis*
*Spurca mens, vere cor inane laudis.*

Guttur

Guttur, ut buſti graveolens Mephitis
Aulaq; Ditis.
O Deus mentem cohibe prophanam,
Et jube curam coquat agra vanam,
Sentiat pœnas meritas, citatis
Obruta fatis.
At tua pſallent bonitate tuti
Qui ducem, te qui Dominum ſecuti.
Spes tui ſcutum quibus eſt favoris
Omnibus horis.

## PSAL. VI. Domine ne in furore, &c.

Dic, quæ ſint animæ
Caſtra? preces, lacrymæ;

DVm ſumiſſeras percitusq; crimine
Sævis in ira fulmine
Parce mihi Domine.
Sana jacentem, languor ægrum conficit.
Enerve corpus deficit
Hoc mihi quis reficit?
Mens ipſa culpâ pœnè victa frangitur.
Malisq; nutans angitur.
Dum tibi deſeritur.
Semperne linquar? ah reverte mi Deus.
Nam liberator es meus.
Te tuus oro reus.
O mortis atra libera me carcere,
Quis namq; raptus funere
Te poterit canere?
De nocte lectum præ dolore lacrymis

Rigo lavoq; plurimis
Æger, inopſq; nimis.
Caligo viſum præpedit dum mœreo,
Hoſtes quòd in fletu meo
Sic hilares video.
At tu ſalutis quà relinquis ſemitam
Et ſpem foves, fex irritam
Cerne fugam ſubitam
A me vocatus Iova juſſit cedere
Hoſtes, & erubeſcere,
Ac celeres fugere.

## PSAL. VII. Domine Deus meus, &c.

Crimen refellat mens honeſti conſcia
Oretq; dira ploret ut calumnia.

IN te ſalutis ſpem loco mi Deus;
Tu ſis egenti murus aheneus,
Dum me cruentus hoſtis urget,
Atq; minis odiisq; turget.
Ne forte prenſum diſtrahat, haud ſecus
Ac torvus olim mite lupus pecus,
Dum nemo me pio favore
Eripiat rapientis ore.
Ah ſumme fautor juſticiæ Deus
Si cogitavi, cujus agor reus,
Si damna tranquillo paravi,
Si mala, quæ memorant, patravi.
Si litigator pacifico fui,
Si me juvanti turpiter obfui.

Malumq;

Malumq́ pro bono rependi
Peſtifero ſtudio nocendi.
Me captet hoſtis, dum capiat, meus,
Sternatq́ captum; mox pede plumbeus
Calcet, meam vitam premendo
Atq́ meum decus obterendo.
Exurge tandem Iova; quid impium
Agmen meorum ſic furit hoſtium?
Exurge, crudos perditurus.
Atq́ decus mihi redditurus.
Sic omnis ad te natio confluet,
Tuoq́ coram Numine corruet,
Per angulos omnes rotundi
Quando pater referêre mundi.
O cuncta ſolus qui benè judicas.
Et fœda juſtè crimina vindicas.
Me vindica, ſi jure mœſtus
Hos itero ſine fine queſtus.
Regnator orbis, gloria cælitum,
Quem corde cæco nil latet abditum.
Infringe conatus malorum
Caſtraq́ parva fove piorum.
Hoſtis quid obſunt arma mihi mei,
Cum dego tutus præſidio Dei?
Hîc integros vita tuetur:
Sors licet his grave quid minetur.
Hîc ut piorum caſtra bonus tegit,
Rebusq́ mœſtos in dubiis regit:
Sic improbos abominatur.
Atq́ crucem meritam minatur.

Quòd ſi ſceleſtus non redit in viam,
Iram Tonantis ſentiet obviam:
En ſtringit enſes; tendit arcus,
Terribilis, veniaq; parcus.
Livent veneno ſpicula lurido;
At ipſe vultu tetricus horrido
Fert cæca mortis vaſa dura,
Heu necis indicium futura!
Sic mente cladem dum parat acrius,
Et turpe crimen parturit impius.
Vanas parit curas, paventes
Quæ crucient agitentq; mentes.
Et nulla techna præmia ne ferat,
Scrobs urget illum, quam mihi foderat.
Sic fraus in autorem redundat
Artis ut artificem retundat.
Sudoris en quòvis redit improbi;
Incurrit autor jure ſua ſcrobi,
In verticem recurrit illi
Grando polo recidens lapilli.
Qui rupit hoſtis Dædala retia
Deo ſit uni debita gratia;
Huic perpetim grates parenti,
Gratus agam benè promerenti.

## PSAL. VIII. Domine Dominus noſter, &c.

Cœlum ſolumq; Numinis potentiam,
At cura noſtri, monſtrat, ejus gratiam.

GEntis humanæ pater, ut ſtupenda
Vbiq; majeſtas tua!

*Vt tulit ſeſe procul intuenda*
*Sub aſtra victrix ardua.*
*Quà fide mundum tueâre, prodit*
*Lactens, & infans puſio*
*Hoſtis ut qui te male ſanus odit,*
*Deſiſtat auſu devio.*
*Cum die cœlos video ſerena*
*Tuâ creatos dexterâ.*
*Nocte cum ſtellas tuor, hîc amœna*
*Cernens & illic ſidera.*
*Ipſe ſic mecum ſoleo putare:*
*Quid eſt homo, quòd illius*
*Es memor? quid, quem variè beare*
*Inſiſtis, eius filius?*
*Hunc parem Divis propè reddidiſti*
*Honore, flore, gloriâ.*
*Hunc coronatum Dominum tuliſti*
*Creata ferrent omnia.*
*Beſtiæ, tigres, rabidi leones*
*Parent ei, parent oves,*
*Illius ſceptrum metuunt Dracones,*
*Campiſq; paſcentes boves.*
*Quæq; pennarum celeri volatu*
*Cœlo feruntur alites.*
*Quiq; pinnarum celeri rotatu*
*Piſcis pererrat gurgites.*
*Gentis humanæ pater ut ſtupenda*
*Vbiq; maieſtas tua!*
*Vt tulit ſeſe procul intuenda*
*Sub aſtra victrix ardua!*

## *PSAL. IX. Confitebor tibi Domine, &c.*

Grates ſolve Deo læto donate tropæo
Sic Domino ſtabis, ſic plura tropæa parabis.

*TE Deus alme, mei cauſam cantabo tropæi*
*Atq; tuæ dextræ referam miracula dextrè*
*Tu mihi fax auſus, tu noſtri gloria plauſus,*
*Tu mihi carmen eris ſeclis memorabile ſeris.*
*Nam me ſervaſti, cùm caſtra ſuperba fugaſti:*
*Quam fadè ſteterunt! quam fœde terga dederũt!*
*Cùm pro me ſtares, cùm pro me dura tonares.*
*Qualis eras ſolio! qualis moderamine dio!*
*Viderunt gentes, pœnas q; dedêre cadentes.*
*Quam brevè vixerunt vitâ famaq; ! fuerunt.*
*Hoſtis acerbe jaces: voces ubi vane minaces?*
*Sic celeri duros mihi deſtruis impete muros?*
*Nam rabiem ſtultam Deus haud dimittit inultam*
*Impietas cedit, ſolio ſimul ille reſedit*
*Ad Domini leges concurrunt undiq; reges*
*Quem iuſtè mundo norunt dare jura rotundo.*
*Ille fugat threnos, relevat per tempus egenos.*
*Sit Pylus ante Pylum, Deus eſt lugentis Aſylum.*
*Hinc ſpes cunctorum memorabitur una piorum,*
*Huic uni notus currentis in avia motus.*
*Feſtis ergo ſonis regem celebrate Sionis.*
*Et vos ſervantis pia facta referte Tonantis.*
*Iova videt flentes, male multat cæde madentes*
*Quippe memor threni, quem lingua profudit egeni*
*O Miſerator ades, duras avertere clades.*

*Ne fiam mortis, ne dira præda cohortis.*
*Sic tibi mille ſonis per portas grata Sionis*
*Carmina cantabo, quibus in tua facta vacabo.*
*Demerſit gentes ſua fraus me fraude petentes*
*In ſcrobis autores vani recidêre labores.*
*O juſtum Numen! quod Iudicis hujus acumen!*
*Fraude ſua ſtulti pereunt, moriuntur inulti.*
*Et meritò! digni ſunt iſta ſorte maligni,*
*Cùm fugiant lumen, temnantq; requirere Numē.*
*Interea mœſtos Deus adiuvat, atq; modeſtos,*
*Solamen flentis, miſeri ſpes, portus egentis.*
*Surge parens, iſtas vindex age decute criſtas,*
*Vt ſapiant gentes tandem tua juſſa trementes.*
*Incute terrorem gravis, excutieſq; tumorem,*
*Vt ſe mortales norint adeoq; diales.*

## *PSAL. X. Ut quid Domine receſſiſti, &c.*

Vivis Tyrannos pingit hîc coloribus,
Cupitq; diris diſperire cladibus.

*QVid uſq; linquis nos Deus? jam reſpice,*
*Hoſtemq; dirum confice,*
*Noſq; tuos refice.*
*Vides ſceleſtus ut Tyrannus fervеat?*
*Vt fraude rectos terreat?*
*Nec malè diſpereat.*
*En ut triumphat! ut, quod ex ſententia*
*Piis locavit retia,*
*Vult opera precia!*

Sibiq; plaudens, eſſe non putat Deum,
Qui plectat agmen ſelleum
Perfidiaq; reum.
Quâ cepit, ergo pergit, & , ceu copias
Difflare poſsit obvias,
Itq; reditq; vias:
Hinc ipſe ſecum: lata nactus omnia
Nunquam timebo triſtia
Anxius exitia,
Os fraude plenum turpibus probris ſcatet,
Dolusq; ſub lingua latet,
Cui pia turba patet.
Hanc quippe captat excubans in atrijs
Vt latro cum locat vijs,
Inſidias medijs,
Seſeq; ſubter antra condit, haud ſecus
Ac trux leo petens ſpecus
Vt petat inde pecus.
Vi mox apertâ caſtra tundit pauperum
Modumq; neſcit vulnerum
Mille caput ſcelerum,
Dictisq; vanis os ſibi dum ſublinit
Hæc, inquit, ut fiant ſinit
Iova, vel haud meminit.
Exurge tandem, dexteram leva polo
Stratosq; lividi dolo
Tolle, Iehova, ſolo
Cur te laceſſens hoſtis, inquit, ferreus;
Humana non curat Deus
Nec videt æthereus.

Vide

*Vides profectò: quippe tutor pauperis*
*Orbique, quos ut aſſeris*
*Sic fera caſtra feris.*
*Feri, ſuperbum frange vani brachium*
*Finale germen impium*
*Lugeat exitium.*
*Semperq; regem te proba, ferocibus*
*Eliminatis hoſtibus*
*Excidiis gravibus.*
*Audi tuorum vota caſta ſupplicum*
*Cor his creans heroicum.*
*Hoſtibus horrificum.*
*Levato preſſos atq; pupillos, duces*
*Iniuriæ perdant truces*
*(Quas meruêre) cruces.*

## *PSAL. XI. In Domino confido, &c.*

Eccleſiæ ſpes eſt Deus:
Idem ſit aſſertor meus.

*IN Deo ſpero parente;*
*Quid mihi vos dicitis?*
*Involà montes repentè*
*More raptus alitis.*
*Nam ferox hoſtis tetendit,*
*Vt vides, arcus ſuos.*
*Heu mihi, quos ille prendit*
*Vt fatigat cernuos!*
*Dumq; tuti nil relictum*
*Proruto fundamine.*

Quid pius facit? quid ictum
Agmen illo turbine?
Spes ait Deus ſuorum
Templa qui tenet poli:
Is videt ſortem piorum
Mille quos premunt doli.
Utq; blanduli parentis
More, diligit pios.
Vindicis ſic ſævientis
Inſtar urget impios
Queis in illos heu favillis
Depluet! quo turbine!
Quis calix bibendus illis
Æſtuante Numine!
Nam favet juſtis, fovetq;
Iova ſanctos firmiter
Fertq; coram ſe, videtq;
Æquitatem jugiter.

## PSAL. XII, Salvum me fac Domine, &c.

In his notatur impotens potentia,
Quam dira paſſim jactitat calumnia.

DVm jacet omne bonum, da te mihi, Iova, patronum
Nam, quòd nuda fides fugerit, ipſe vides.
Criminibus juncti blaterant convitia cuncti,
Fraudes corde latent, in ſcelus ora patent.
O Deus, extinguas jactantes grandia linguas,
Nec fer in orbe ſoli pectora docta doli.

Nam

*Nam blaterant; fictis utamur ad impia dictis,*
*Blandis illa ſonis dent mala damna bonis.*
*His Deus auditis: non ſic vos, inquit, abitis:*
*Iam ſurgens miſero, cauſa ſalutis ero.*
*Omne Dei fatum, velut aurum ſæpè probatum,*
*Eſt purum, verum, dulce, ſuave, merum.*
*Sic pravis reſta, promiſſaq; dulcia præſta,*
*Semper & innocuos aſſere, Iova, tuos.*
*Omnia plena malis, fex imperat exitialis,*
*Qua dum dira fremit, plebs pia triſte gemit.*

## PSAL. XIII. *Vſque quò Domine oblivi-ſceris, &c.*

Petit ſe pia turba vindicari,
Ne poſſit ſcelerata gloriari.

*QVousq; me rejecto*
*Vultu, Iehova, tecto*
*Me neſcies gementem*
*Et aſpra fata flentem?*
*Quousq; cogar angi*
*Æthnaq; mole frangi,*
*Dum cerno me labantem,*
*Hoſtemq; gloriantem.*
*Tandem rogate multum,*
*Lætum reflecte vultum,*
*Illuminans ocellos,*
*Ne concidam, miſellos.*
*Neu glorietur ille,*
*Qui verſat arma mille*

*Vitiiq́, clamet atris*
*Me ſepiendo clathris:*
*At æquitas Tonantis*
*Me ſuſtinet juvantis*
*Hunc mente ſæpè volvam*
*Huic vota grata ſolvam.*

## PSAL. XIV. *Dixit inſipiens, &c.*

Peccamus omnes multa, ſecuri Dei;
Has, Chriſte, culpas aufer arx noſtræ
Spei.

*STultus indulgens ſibi, peſtilenter*
*Sic ipſe ſecum cogitat:*
*Fingitur, non eſt Deus: hinc furenter*
*Peccans, honeſto reſtitat.*
*Interim ſummo Deus axe gentes*
*Spectans reflectit lumina*
*Vt ſciat num ſint, pia qui verentes*
*Norint, colantq́; Numina.*
*In nefas omnes videt eſſe pronos,*
*Fœdos, abominabiles.*
*Devios, vanos, ſcelerum patronos,*
*Ad recta tardos, futiles.*
*Hinc ait: quæ mens vaga vos coëgit*
*Negare vera Numina?*
*Sancta quis diris ſtimulis adegit*
*Vorare livor agmina?*
*Hæc Deus: nec jam mora: cum tumorem*
*Vanum ſuperbis excutit.*
*Et ſuos ſervans, tumidis timorem*
*Formidoloſum incutit,*

*Quid tamen vanos movet admonendo?*
*Ludunt, ut antè, pauperem*
*In Deo quòd ſpem locet, & ferendo*
*Rumpat malorum carcerem.*
*O viam pandat Dominus ſalutis*
*De rupe jam Sioniâ,*
*Ut piis vinclo rigido ſolutis*
*Optata ſurgant gaudia.*

## *PSAL. XV. Domine quis habitabit, &c.*

In Dei ſe Civitatem
Fert fides, per caritatem
Se probans haud mortuam.

*QVis eſt Sionis qui colet atria*
*Scandetq́; cæli celſa palatia!*
*Quis hîc prehenſa ritè meta*
*Regna poli capiet quieta?*
*Qui corda ſimplex pura doli gerit,*
*Rectiq́; callem propoſitum terit,*
*Cui lingua verax, atq́; dicta*
*Indocilis ſimulare ficta.*
*Cui nulla fraudis fabrica diſcitur,*
*Nec ulla technæ machina cuditur,*
*Famam bene qui proximorum*
*Collutulare fugit ſuorum.*
*Qui faſtuoſum deſpicit impium*
*Dei timentem ſuſpiciens pium.*
*Qui dat fidem, præſtatq́;, factum*
*Indocilis temerare pactum.*

*Qui non egenos fœnore perdidit,*
*Nec innocentem munere prodidit.*
*Hæc qui facit, cœlo locatus*
*Regna quietis aget beatus.*

## *PSAL. XVI. Conſerva me Domine, &c.*

Laudetur æternùm Deus
Dux, paſtor, aſſertor, meus.

*IN tuo ſemper favore*
*Spem meam pono, Deus.*
*Tu procul pulſo timore*
*Liberator ſis meus.*
*Tu meum, levamen, unus,*
*Certa tu ſalus meæ*
*Quod tibi vel quale munus*
*Mens dabit voti rea?*
*Quòd licet, cœtus juvabo,*
*Qui colunt nomen tuum.*
*Hos malis preſſos levabo*
*Diligamq́; mutuum.*
*Oſor interim ruentum*
*Ad Deos fictos ero,*
*Nomen ipſum ſic furentum,*
*Qua licet, vitavero.*
*Nam mihi ſat eſt bonorum*
*Cum meus tu, mi Deus.*
*Has opes nacto, malorum*
*Quid nocet grex ferreus?*
*O mei ſors pulcra fundi!*
*Dives ô hæreditas!*

*O ad hanc ut cuncta mundi,*
*Squalor eſt amœnitas!*
*Laus ſit optimo parenti*
*Qui mihi ſic proſpicit,*
*Qui bonus vel dormienti*
*Cuncta largè ſufficit.*
*Illius tutus potente*
*Aſſerentis dexterâ,*
*Nil moror fato furente*
*Tela ſortis aſpera.*
*Hinc meum pulſant ovantis*
*Læta pectus gaudia,*
*Cum Deo laudes ſonantis*
*Chorda concrepat pia.*
*Corpus hinc meũ quieſcet,*
*Nec putreſcet in ſolo,*
*Nam tuus ſanctus vireſcet,*
*Quando reddetur polo.*
*Tu viam mihi rogatus*
*Ipſe pandes inviam;*
*Ad tuam dextram locatus*
*Vt perennè geſtiam.*

## *PSAL. XVII. Exaudi Domine juſti, &c.*

Quem vis ſuperba vexat, innocentiâ
Suâ, Deiq; ſtet potens præſentiâ.

*AVdi querelas æquus æquas, ô Deus,*
*Quas fundit ægro corde ſingultus meus*
*Te cognitorem, te mihi da judicem,*
*Iniquitatis te ſeverum vindicem.*

*Nam*

*Nam me probaſti, cogitata ſcis mea,*
*Scis ipſa mentis verba conſentanea.*
*Scis, ut tuis innitar usq; legibus,*
*Factis latronum ſemper hoſtis turpibus*
*In hac Iehova, me potens firma viâ*
*Ne pes vacillans ceſpitet per avia*
*Clamantis hauri vota promtis auribus,*
*Suetis patere ſupplicantum vocibus.*
*Servare miris qui ſoles modis pios,*
*Faſtu tumentes perde vindex impios.*
*At me tenella more pupilla tege,*
*Aliſq; fautor ſub tuis tectum rege.*
*Nam me ſceleſta factio circumſtetit*
*Quæ me, meamq; fraudibus vitam petit.*
*Pingues, opumq; divites me fortiter*
*Vallant, minisq; territant ferociter.*
*Viasq; cunctas hic & illic obſident,*
*Locumq; fraudi qui ſit aptus, provident*
*Prædam leo ſic quærit irâ percitus.*
*Leunculus ſic in ſpecu ſtat abditus.*
*Exurge vindex vimq; vanam contere*
*Tuoq; me mucrone ſolus aſſere.*
*Florent ſceleſti (floreantq;) proſperis*
*Re, ventris eſcis, ſervulis, & liberis*
*At me beatum fecerint vultus tui;*
*His excitatus da queam ſemper frui.*

## PSAL. XVIII. *Diligam te Domine, &c.*

Cùm pia caſtra potens ſervet Deus, hoſtica tundat,
Tàm meritò grates pia concio, votaque fundat.

Sva

IOva meum ſcutū, rupes mea, robur, ara, lumen
Tuum ſonabo diligamq́ Numen
Tu clypeus mihi, tu currus mihi, tu ſalutis
Mea fuga tu portus, ara, fautor.
Nam ſimul atq; tibi votis lito, protinus meorum autor.
Campo recedit agmen æmulorum:
Pallida pulſabat mors jam mea tecta, jam profundis
Torrentis Orci ſubruebar undis.
Deprenſus Stygia jam compede prorutus trahebar,
Mortisq́; clathris lurida tenebar.
Hic ego vota Deo fudi mea, voxq́; conquerentis
In templa ſummi ſe tulit Parentis.
Nec mora, terra tremit, fundamina montium To-
Nutant ob iram cuncta territantis (nantis
Indomita fumos è naribus ille fundit ira
Voratq́; regna, fulguratq́; mirè
Inclinansq́; poli faſtigia deſilit, tenebræ
Subter, pedum ſunt illius latebræ.
Ille volans, vento pro remige fertur, igneorum
Trahens ab aſtris agmen Angelorum.
Et denſis ſeptus tenebris latet: hæc malis minantis
Eſt ſcena, ſanctos inde vindicantis
Hinc latè grando crepitans ſalit, hinc coruſcat æther,
Volatq́; ruptâ nube, turbo teter.
Interea Dominus gravè detonat, ignibus coruſcans
Degrandinatq́; , triſtè cuncta fuſcans

Fal-

Fulmina miſſa volant, inimicaq́ꝫ caſtra diſsipantur
Cum mille nubes fulgetris ſecantur.
Vnda ruit, terra fundamina quaſſa dum dehiſcũt
Deiq́ꝫ bilem vindicis tremiſcunt.
At me ſubmerſum fermè, manus optimi parentis
Extraxit undis vorticis ſtrepentis.
Eripuitq́ꝫ, ſeris è faucibus hoſtium meorum,
Eluſus eſt conatus invidorum.
Occurrére gravi mihi tempore, fraude me prementes,
Sed hos repreſsit Iova ſic furentes.
Et lato ſiſtens in tramite, me ſibi levavit,
Proculq́ꝫ ſortis nube collocavit.
Hac vita merces mihi reddita Numinis verenti
Manusq́ꝫ puras criminum gerenti.
Nam mihi vita fuit Domini via, ſemper hanc tenebam,
In hac Iehova me comes ferebam.
Iudiciis juſsiſque Dei mea mens vacare ſueta,
Gaudebat eius æquitate lætâ.
Hinc ſordes ſcelerum cita fugerat, oderatque crimen,
Vt triſte mortis Tartarique limen.
Et tulit hac pietas ſua præmia, Numinis verentem
Iuſto Iehovâ protegente mentem.
Alme parens, ſanctis tu ſanctus es, & bonos benignè
Tractas, crucis cùm fraus crematur igne



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0050-0

Te bonus eſſe bonum ſentit ſibi, contumax mina-
cem
Faberq́ue fraudis ſubdolæ ſagacem.
Res humiles inopum tu reſpicis, & juvas jacentes
Vanoq; faſtu ſubruis tumentes.
Tu de plebe levi rapto mihi das ſedere primâ,
Qui ſede nuper collocabar imâ.
Tu mihi quando præis in prælia, deferor per hoſtes
Et ſcando muros, & revello poſtes.
Eſt via pura Dei, promiſſio certa, quâ ſuorum
Spes eſt, & umbo luxq; ſervulorum.
Ecquis enim præter Dominum Deus? ecquis eſt ro-
tundi
Qui frenet alter cuncta regna mundi?
Ille mihi vires in bella dat, ille me potentem
Et labe præſtat ſordidâ carentem.
Idem me celerem pedibus facit, hinc jugis volando
Præverto cervos hoſtis atra grando.
Ille mihi tractare manu dedit arma, datq́ue Sor-
tis
Ut tela frangam, pallidaq́ue mortis.
Tu Deus, ut ſcutum, me protegis, & regis vagan-
tem,
Dextrâq; fulcis patriâ labantem.
Tu clarum reddis, pandens iter in locos patentes
Pedesq́ue firmans ire vix valentes.
Te duce palantes hoſtes ago, fortiterq; fundo,
Prenſoq; prenſos perdo, verſo, tundo.
Nec redeo, donec videam mihi ſubjici cadentes,
Meisq; trudi calcibus jacentes.

*Tu mihi das animos, tu robora, tu Iehova nervos,*
*Ut victor hoſtes obruam protervos.*
*Ut gravis incumbam fugientibus, ut pedes fuga-*
*ces,*
*Servare linguas non queant precaces.*
*Clamabant, clamor ſuit irritus, impii precamen*
*Nullum reportat cœlitus levamen.*
*Diſſipat ut cineres Boreas citus, ut lutum fatiſcit:*
*Sic me fremente fex cadens tremiſcit.*
*Tu mihi contemto populis dare jura das remotis,*
*Mihi, meisq; non ſatantè notis*
*Sic, quos fama mei vix nominis attigit, tremebant*
*Pacemq; blandâ voce me petebant.*
*Pars etiam luctu contabuit ægra, quando duros*
*Illi ruebam diſſipare muros.*
*Vivat ô & regnet fortis Deus! hunc piis benignum*
*Sub aſtra cuncta ferte laude dignum.*
*Hoſtes ille meos mihi ſubdidit, antea timendos,*
*At jam timentes, moxq; puniendos*
*Is me mille modis preſſum levat, is meos clientes*
*Calcabit, in me calcibus ruentes*
*Hinc mihi carmen erit ſemper, melos huic meum*
*dicabo,*
*Gentes per omnes hunc palàm ſonabo*
*Nam per eum regi mihi laurea parta, poſterorum*
*Idem favebit ſemini meorum.*

## *PSAL. XIX. Cœli enarrant gloriam, &c.*

Quid ſit Deus velitq; , mundus indicat
Sed plenius lex hoc utrumq; prædicat.

*Gloriam*

GLoriam magni ſolidam Tonantis
Cælum coruſcum prædicat.
Numen & quantum queat hæc creantis
Stellatus arcus indicat.
Lux fugans noctis tenebras ſilentis
Noctiq; concedens dies,
Prædicat dextram Domini potentis
Cui paret æther inquies.
Muta res quanto reboat ſonore
Terræ per omnes angulos!
Vt ſuo quovis penetrans fragore,
Monet, movetq; ſingulos!
Diſsitis paſsim ſonus hic in oris
Auditur immenſi ſoli,
Sol ſimul plenus rutili decoris
Illuſtrat aream poli.
Hic ubi læto citus ille vultu,
Vt ſponſus, exit aureus,
Vt Gigas currit, nitidusq; cultu
Orbi renidet igneus,
Ortus ad Gades celeri meatu
Curſus diurni pervenit,
Et ſua flamma rapido volatu
Quemvis, ubivis, invenit.
Sed tamen, Cœlo melius, iacentes
Mentes docet verbum Dei,
Hoc fidem ſervat, docet inſcientes
Parvosq; vim miram ſpei.
Quicquid hoc mandat Deus, omne planum
Eſt, omne mentis gaudium.

*Omne purgatum ſatis, omne ſanum,*
*Nec non lucerna cordium.*
*Hinc pii diſcunt Dominum timere,*
*Pium parentem filii.*
*Nil ibi cuiquam liceat videre,*
*A veritate devii.*
*Nil ad hoc auri facies micantis,*
*Nil eſt ſupellex gemmea,*
*Nil ad hoc mellis lepidè fragrantis*
*Dulcedo grata, muſtea.*
*Servus hæc quiſquis Domini potentis*
*Obſervat, & facit, ſapit,*
*Atq; decurſo ſtadio, ſtudentis*
*In hiſce præmium capit.*
*Sed quis adverit ſatis avia, um*
*Errata cuncta mentium?*
*O lava, quæſo, Deus, à mearum*
*Me labe tetrâ ſordium.*
*In meis fibris tumidam domando,*
*Evelle contumaciam,*
*Vinculis culpæ fragilem levando,*
*Triſtemq; conſcientiam.*
*Fac tibi promat mea lingua laudes,*
*Quas cor perennè cogitet*
*Teq; qui tutor meus eſſe gaudes,*
*Sonora chorda cantitet.*

## *PSAL. XX. Exaudiat te Dominus, &c.*

Vt rex triumphet, vota fūdat grex pius,
Qui vota fundit, tundit hoſtes pervius.

*Sit*

Sic te Iova potens regat,
Pugnantemq́ue ſuo Numine protegat.
Auſis addat opem piis
Excelſis ſupera ſedis ab atriis:
O Rex, ut pius, hoſtiâ
Tu gratâ Domino ſacra facis piâ
Idem quòd petis, impleat,
Voti nulla tui pars uti tranſeat.
Iam jam carmine gratias
Solvemus Domino libera gens pias.
Paßim cœtus ovantium
Ibit, geſta canens ſigna ferentium
Implebitq́ue preces Deus,
Incertas nec alit ſpes animus meus.
Regem Iova tuebitur,
Cunctis ille redux commemorabitur.
Hoſtis fidito curribus
Et ſublimis equis fertor in acribus
Nos in cœlite dexterâ,
Pugnatum ferimur prælia proſpera.
Illis bella dabunt neces,
Nobis dulce ferent auxilium preces.
Regem Iova, juva pius
Vt nos ille ſuos audiat, ut prius.

PSAL. XXI. Domine in virtute tua &c.

Seges bonorum cum triumphis à Deo,
Hîc ſit mihi dux, audeo.

QVòd triumphat Rex reditq́ue,
Quòd fremit plauſu ſaliſq́ue
Debet hoc, Deus, tibi.
Vota tu complens rogantis
In malis huic ara tantis
Atque dux eras ibi.
Antequam votis litavit,
Quæ volebat, impetravit
Cum coronâ regiâ.
Nactus immortalitatem,
Cum dierum paucitatem
Voce poſcebat pia.
Tu parens illi bonorum
Tu fuiſti fons honorum,
Et triumphi nobilis.
Tu pater felicitatis
Poſteris es rege natis,
Duxq́ue formidabilis.
Rex enim tui tuentis
Spe ſtat; hinc fati furentis
Tela firmus perferet.
Interim tu vim repelles,
Vis tua dextra rebelles
Cum ſceleſtis conteret.
Ligna ceu depaſcit ignis:
Sic furor tuus malis nis
Fata vindex afferet.
Demetes germen malorum,
Semen expungens eorum
Eruensq́ ſtirpitus.

*Grex malus fraudes ſerebat*
*Huc̨ te vafrè petebat,*
*Sed furor fit irritus.*
*Nam cadit te perſequente,*
*Et ſagittas dirigente*
*In cohortes hoſtium.*
*Surge Iova, tec̨ fortem*
*In levem præſta cohortem,*
*Carmen ut ſis omnium.*

## *PSA. XXII. Deus Deus meus reſpice, &c.*

Hîc memorat David, quę, quantaq; perpetiatur,
Hęc eadem de ſe Chriſtus moriens querulatur.

*CVr me relinquis? cur relinquis me, Deus?*
*Non te movet clamor meus?*
*Noctes dieſq; rugio, nec audior.*
*Fruſtraque cuncta molior.*
*Tu ſanctus es, tu carmen ortis omnibus*
*Ab Iſraële gentibus.*
*Tu ſpes parentum, tu fuiſti flentium*
*In rebus arctis gaudium.*
*A te redibant (cuncta qui ſolus potes)*
*Suæ ſalutis compotes.*
*At ipſe quid ſum? vermis, umbra, ſomnium,*
*Ludibriumq; vilium.*
*Rident videntes me, caput motant ibi,*
*Et labra torquentes ſibi:*
*En hujus (ajunt) Iova certa ſpes erat:*
*Qui ergo carum liberat?*

*At tu foves · alisq́; me rex cœlitum,*
*Mox ventre matris editum.*
*Idem fovebis cum ſeneſcam. Nam meus*
*Es portus, es rex, es Deus.*
*Sic ſis ô idem, nemo dum me ſuſtinet,*
*Gravisq́; dum ſors imminet.*
*Tauris obeſis appetor circumdatus*
*Et prenſor in prædam datus.*
*Inſtar leonum, quos ciet fames, hiant*
*Vt me prehenſum glutiant.*
*Vt unda, corpus hinc meum diffunditur,*
*Cor more ceræ liquitur.*
*Vt teſta ſiccus ſpecto buſta luridus,*
*Nec moto linguam languidus.*
*Manus pedesq́;, ceu canes, ferocibus*
*Hi perforarunt dentibus.*
*Nunc oſſa læti cuncta computant mea*
*Sub pelle tenſâ, buſtea,*
*Measq́; veſtes mancipatas ſortibus,*
*Suis relinquunt uſibus.*
*Ades, Deus mi, meq́; ſerva, lux mea*
*Dum mole tardor plumbeâ.*
*Ferrum repellens de meis cervicibus*
*Canum reſiſte morſibus.*
*Rictus leonum, robur unicornium.*
*Contunde me prementium.*
*Tunc ſoſpes amplis in tuorum cœtibus,*
*Te prædicabo fratribus.*
*Laudato, dicam, qui times numen, Deum,*
*Agnoſcat Iſraël eum.*

*Haurit vocatus pauperum pios Deus,*
*Cui clamor auditus meus,*
*Hinc, vota ſolvens in piorum cœtibus,*
*Te prædicabo gentibus.*
*Canent eundem te ſonoris cantibus*
*Pii cibati panibus.*
*Omnesq; fines orbis ad te confluent,*
*Genuq; flexo corruent.*
*Nam ſolus orbis eſt Deus Rex, omnibus*
*Hic jura dicit gentibus.*
*Ei cibatur dives & pauperculus,*
*Et ſit cibantis ſervulus.*
*Vtroq; nati liberatorem meum,*
*Verum celebrabunt Deum:*
*Et, juſtus ut ſit, mitis ut rogantibus,*
*Pandent ſuis nepotibus.*

## *PSAL. XXIII. Dominus regit me, &c.*

Lupus Tyrannos nil moror. Nã me ſua,
Paſtor piorum ductitat per paſcua.

*ME Iova paſtor paſcit ovem ſuam*
*Ne quas aberrans per ſalebras ruam,*
*Nil hoc mihi paſtore deërit,*
*Hic ſibi me bonus uſq; quærit.*
*Quá lambit amnis prata virentia,*
*Halatq; florum mira fragantia,*
*His me locavit in roſetis*
*Vt riguis fruerer viretis.*
*Mentem refecit ſuaviter anxiam*
*Monſtrans beatam iuſticiæ viam,*

*Vt laude debitâ colatur,*
*Et miſeris bonus arguatur.*
*Hic dum mihi Sol in tenebris vitet*
*Triſtis tenebras mors, ſino, funditet,*
*Pugnetq́ mecum, non timebo*
*Sed tuus uſq́ Deus, manebo.*
*Nullus jacentem me quatiet metus*
*Ad hoſtis omnes me meus impetus*
*Pedo, Iehova, ſuſtinebis*
*Et facilis mala ſubmovebis.*
*Quod præparaſti tu mihi pabulum!*
*Vt invidentem macerat æmulum!*
*Vt ille liveſcit videndo!*
*Vt fremit, ut gemit, invidendo!*
*Liveto livor; tu tamen es meus*
*Paſtor, redemtor, rex, Dominus, Deus*
*Tu me mero, tu me dolentem*
*Exhilaras oleo clientem.*
*Idem manebis, méq́ tuus favor*
*Nunquam relinquet, corpore dum gravor;*
*Idem ſequetur me, tuorum*
*Quando theatra petam polorum.*

## *PSAL. XXIV. Domini eſt terra, &c.*

Rex Chriſtus eſt Eccleſiæ,
Monarcha ſummæ gloriæ.

*EST omnis Domini terra, Deo patet*
*Ingens orbis, et tot populis ſcatet;*
*Quicquid vaſta ſoli machina continet*
*Iova dextera ſuſtinet.*

*Hic illam tumido fixit in æquore,*
*Quam quovis ineant flumina tempore.*
*Quamvis inſtabili ſtat ſtabilis mari,*
*Non credant, ſine, barbari.*
*Quis montem Domini, ſancta quis atria*
*Aſcenſu ſuperans tecta Sionia,*
*Æternosq́ colet cœli tuum lares*
*Queîs non mundus habet pares?*
*Cujus pura manus mensq́, nec arduo*
*Niſu vana movet corde levis ſuo.*
*Cui firmare fidem cura datam pia,*
*Pulsâ fraude neſaria.*
*Talis dives erit cælite gratiâ,*
*Hæc deterget ei crimina noxia.*
*Et iam conſpicuus juſticia Dei,*
*Invadet ſolium ſpei.*
*Hoc eſt eſſe pium pectus! & hac via*
*Ad ſedis ſupera tenditur atria;*
*Hac humana queunt cernere lumina*
*Immortalia Numina.*
*Portæ perpetuæ clauſtra revellite,*
*Et ferrata citò limina pandite.*
*Vt rex alta potens tendat in atria*
*Clarus perpete gloriâ.*
*Quis rex ille nitens perpete gloriâ*
*Vt ferrata potens tendat in atria?*
*Acer Marte Gigas, qui facit aſpera*
*Dextrâ, prælia proſpera.*
*Portæ perpetuæ clauſtra revellite,*
*Et ferrata citò limina pandite,*

*Vt rex alia potens tendat ad atria,*
*Clarus perpete gloria.*
*Quis rex ille nitens perpete gloria?*
*Vt ferrata potens tendat ad atria?*
*Heros ille potens militiâ piâ*
*Necnon divite gloria.*

## *PSAL. XXV. Ad te Domine levavi, &c.*

Nitatur alter militum potentiâ:
Nos ſuſtinemur Numis præſentiâ.

A*D Iehovam cor levavi*
*Pudore non rubebo,*
*Non, meo dolore pravi*
*Quod gaudeant, videbo.*
*Nam Deo fidentium*
*Non erit fides inanis,*
*Aſt eos prementium*
*Vis ruet Diis nixa vanis.*
*Me vias tua ſalutis*
*Rerum parens doceto,*
*Veritatis ínq; tutis*
*Me vallibus foveto.*
*Namqúe tu ſalus mea,*
*Ah tuo favore noto*
*Me (facis quod anteà)*
*Pro meo foveto voto.*
*O Pater, mea iuventa*
*Ne facta digna letho*
*Tam fideli volve mente*
*Sed occuli jubeto*

Æqui-

Æquitatis pallio,
    Sæpè quàm tuis probaſti:
Cùm favore patrio
    Triſte crimen expiaſti.
Iova rectus & benignus
    Confitentes erigit,
Gratiæ donando pignus
    His pedes cùm dirigit,
Spirituq́ pauperes
    Suſtinet potente dextrâ,
Devios ut nulla res
    Intus abſtrahat vel extrà.
Veritas cum lenitate
    Sunt ſemitæ Tonantis,
Plebis huic parere natæ
    Cor obſequens beantis:
Et mea dementia
    Tolle tolle tot reatus
O Pater clementiæ
    Vt ibi canam renatus.
O beatus! qui Tonantem
    Plus omnibus veretur:
Hunc Iehova dux vagantem
    Ducit, fovet, tuetur.
In bonorum copia
    Hic bonos dies videbit,
Illius proles pia
    Patrium ſolum tenebit.
Semitam tuæ ſalutis
    Cunctis Iehova pandis,

*Qui tua legis ſtatutis*
*Dant colla bajulandis.*
*Hinc eodem luminis*
*Eſt mei reflexa cura*
*Libera me Numinis*
*Vt tui de ſorte dura.*
*O Deus parens benigne*
*Ad me reflecte vultum.*
*Et premi turba maligna*
*Ne me ſinas inultum.*
*Differor doloribus*
*Conſcientiæ trementis,*
*His carere morſibus*
*Anxiæ da poſſe mentis.*
*Quæ premunt me multa ſontem,*
*Tormenta cerne dura,*
*Et mali, Iehova, fontem*
*Culpas medendo cura.*
*Æmulos meos vide*
*Vt ruant in me doloſi!*
*Pejus ut ſint aſpide*
*Innocentem me peroſi!*
*Vnicam meam tuére*
*Ab hoſtium furore.*
*Tu mihi ſpes, fac latêre*
*Me ſub tuo favore.*
*Vt piam tenens viam*
*In pio choro tuorum.*
*Later hîc Eccleſiam*
*Mole liberam malorum.*

## PSAL. XXVI. Iudica me Domine, &c.

Vatem Tyrannis atque cæca fraus premit,
Quid ille? Numen laudat, invocat, gemit.

*ADes Iehovah, vindica me ſpes mea,*
*Cur innocentem me premit fex vellea?*
*Tu me probato ſolus igni judice*
*Purumq́; pectus, corq́; ſimplex, inſpice*
*Fretum videbis me tuâ clementiâ,*
*Purâqúe puri cordis innocentiâ;*
*Procul ſit à me, qui bilinguis eſt homo,*
*Procul doloſus abſit à mea domo.*
*Puras manus levare munus eſt meum,*
*Araſq́; circum ferre laudibus Deum;*
*Hunc noſtra templis vox in omnibus ſonet,*
*Ejusq́; mira facta paſſim perſonet.*
*Et hac voluptas ſola cordis ſit mei*
*Tectis vacare, qua ſonant laudes Dei.*
*Ah mî Iehovah, da procul ſim gentibus*
*Sitim cruoris usq́; ſentientibus;*
*Avi ſceleſta me cohortis aſſere.*
*Cuius ſceleſta dona captant dextera:*
*At mî ſatis ſit cordis innocentia,*
*Te freta, quaq́; me levabis gratiâ.*
*Hîc ſtet meus pes, ſtatqúe rectis greſſibus,*
*Hîc in piis te laude tollo cætibus.*

## PSAL. XXVII. Dominus illuminatio, &c.

Verbū preceſq; caſtra fundunt hoſtica
His, cum gravaris, grex piorum dimica.

CVm mihi Iehova lumen
Quem timebo pallidus?
Cùm regit me mite numen
Quem tremiſcam luridus?
Copias cogunt nocentes,
Et dolos vafros ſuunt;
Sed necare me volentes
In ſuas ſcrobes ruunt.
Irruant in me catervæ,
Non pavebit cor meum,
Caſtra me petant protervè,
Spe reclinor in Deum.
Ejus in domino manere
Semper, eſt votum meum,
Hîc voluptas eſt videre
In ſuo verbo Deum.
Hîc ubi me mitis ille
Arce tutâ protegit,
Dumq; ſurgunt fata mille
Fautor indemnem regit.
Hic mihi meos domando
Subdet hoſtes arbiter,
Quod, lyrâ dulci ſonando,
Prædicabo jugiter
O Deus, dum clamo, threnos
Ne precantis rejice.

*Cur tegis vultus ſerenos?*
*Iam quærentem reſpice.*
*Vis tuum Numen requiri?*
*En requiro, mi Deus.*
*Te mihi detur potiri,*
*Tu potens amor meus.*
*Ne tuos averte vultus,*
*Pone, quas iras geris,*
*Vt tuo favore fultus*
*Sublegar fatis feris.*
*Neſciant, eſto, parentes*
*Et relinquant, me mei;*
*Si mihi pedes trementes*
*Dirigit manus Dei.*
*O tuâ, parens benigne,*
*Ire me doce viâ,*
*Ne metu facis malignæ*
*Divager per avia,*
*Ne relinque me, ſceleſtis*
*Nam petor phalangibus.*
*Falſus in me falſa teſtis*
*Ructat atris faucibus.*
*Nil ſubiret ſpes bonorum*
*In choro viventium.*
*Iam fatiſceret malorum*
*Mole pectus anxium.*
*Dum tonant fato furente*
*Sortis adverſæ minæ,*
*Tu Deo tutus tuente*
*Cuncta fortis ſuſtine.*

**PSAL. XXVIII. Ad te Domine clamabo, &c.**

Sibi ſuisq; poſcit his opem pius;
Hoſtisq, diris devovetur impius.

IEhova fortis arx mea,
Idemq; turris anea,
Audito vota ſupplicis:
Peribo, ni me reſpicis.
Dum t.ndo palmas d plices
Preceſque fundo ſupplices,
Aurem reclude mi Deus,
Vt liberator ſis meus.
Ab impiorum turpibus
Me ſegregato cœtibus,
Lingua quibus ſunt mellea:
Mentes doloſa, fellea.
Sed aqua tales talio
Digno redonet pramio,
Vt ſeminarunt ſic metant,
Suiſq; technis oppetant.
Vt quiſq; contemnit Deum
Inauguratorem meum:
Sic puniatur cœlitus,
Dum deſtruatur funditus.
Sit ſempiterna laus Deo,
Voto quòd annuit meo,
Et hauſit aure patriâ
Lamenta plangentis pia.
Iehova robur eſt meum,
Spes, ara, numen flammeum.

*Illi decoris geſtibus,*
*Illi lætabo plauſibus.*
*Iehoua tu meos regis,*
*Vmbone quos tuo tegis,*
*Et Regis idem tutor es*
*Salutis huic pandens fores.*
*Idem tuorum cætibus*
*Adeſto vindex omnibus,*
*Eosque ſerua jugiter*
*Bonis adauctos largiter.*

## *PSAL. XXIX. Afferte Domino filij Dei, &c.*

Idola cedant principumq; gloria:
Stupenda ſola Numinis potentia.

*SAnguis Heroæ generoſe gentis*
*Cui ſumma rerum credita,*
*Quæ Dei ſit vis, patrio tuentis*
*Pios amore, penſita.*
*Dumque perpendis, celebra merentis*
*Auguſta patris nomina,*
*Hic ubi cætus populi canentis,*
*Templi frequentat limina.*
*Vox Dei rores grauidâ liquentes*
*De nube mittit in ſolum,*
*Et minas fundit tonitru frequentes,*
*Cietq; cum ſalo polum.*
*Vox Dei virtus mera, nil Gigantis,*
*Nil arma curat cætera.*
*Vox Dei fulmen; tonitru Tonantis*
*Tumultuatur dextera.*

*Seu juvat Cedros libani virentes*
*Vt diſsipare fulminis,*
*Seu pharetratæ Syriæ patentes*
*Nudare montes fraxinis.*
*Vox Dei colles facit exilire,*
*Et nubis ignes, haud ſecus*
*Ac vides olim vitulos ſalire,*
*Lætumq́ per campos pecus.*
*Vox Dei nubes animoſa fuſcat*
*Cæcoq́ rumpit verbere;*
*Hinc polus flammis rapidis coruſcat*
*Stupore concidunt feræ.*
*Vox Dei latè pavidò jacentes*
*Terras tremore ſuccutit:*
*Vox Dei montes nivibus rigentes*
*Miro fragore concutit.*
*Vox Dei cogit pecudes trementes*
*Partus acerbos edere:*
*Vox Dei colles ſubigit virentes,*
*Repentè deflorescere.*
*Hæc Dei virtus, honor hic decusq́,*
*Templis pateſcit plenius,*
*Hîc ubi caſta prece cantibusq́*
*Illum celebrat grex pius.*
*Quas premit, cum vult, dat aquis ſupernis*
*Laxas habenas arbiter;*
*Rector hic cœlo ſedet æviternus,*
*Dans iura cunctis jugiter.*
*Hic ſua vires bonus è Sione*
*Suis miniſtrat cætibus,*

*Hic ſua præſtat benedictione*
*Pacis beatos fructibus.*

## *PSAL. XXX. Exaltabo te Domine, &c.*

Qui liberatus è malis eſt triſtibus,
Tollat Jehovam ſempiternis laudibus.

*TE modis ſemper celebrabo gratis,*
*Nam liberaſti me Deus.*
*Ne meo caſu gravibusq; fatis*
*Gauderet hoſtis ferreus.*
*Vota vix fudi, trepidi pavores*
*Cum corde ceſſerunt meo,*
*Conſcia mentis miſeros dolores*
*De mente tandem deleo,*
*Tu jubar vita mihi reddidiſti*
*Solisq; clara lumina,*
*Meq; de ſtagnis Stygis eruiſti*
*Quo tot ruebant agmina.*
*Debita cœlis anima, benigno*
*Rerum parenti pſallite*
*Huic pio plauſu moduloq; digno*
*Laudes perennes dicite.*
*More nam bulla fugit ejus ira,*
*Cui vita dulcis it comes.*
*Veſperi ploras, bona mane mira*
*Surgunt, quibus luctū domes.*
*Sorte dum felix placidâ fruebar*
*Sceptri ſuperbus culmine,*
*Ipſe ſic mecum tacitus loquebar:*
*Nullo movebor turbine.*

*Sed tuos vultus ſimul abdidiſti*
*Pectus pavore corruit,*
*Quodq; fortuna minus eſſet iſti*
*Credenda res, innotuit.*
*Ergo converſus lacrymasqúe fundens*
*Ad deprecandum prorui.*
*Et polos votis, precibuſqúe tundens*
*Sic fatus ad Deum fui.*
*Quid, precor, quid te mea mors juvabit*
*Meiq; ſanguis mortui?*
*Te quis in buſti ſcrobibus ſonabit*
*Et facta nominis tui?*
*Gentis humana pater, aura, Numen*
*Adſis, miſertus jam mei.*
*Et tuum converte deinde lumen*
*Ad ora ſupplicis rei.*
*Hæc ſimul dixi, mihi derepentè*
*Optata reddis jubila*
*Deq; lugentis nebuloſa mente,*
*Fugas ſerenus nubila.*
*Ergo te cælo mea Muſa gratis*
*Perennè cantibus feret;*
*Et tuum chartis tibi conſecratis*
*Rex magne nomen inſeret.*

## *PSAL. XXXI. In te Domine ſperavi, &c.*

Pius precatur, ſpeq; vincit triſtia;
Felix, Dei quem ſuſtinet fiducia!

IN te recumbo Iova, tu vindex meus,
Pudore cur frangor reus
Si mihi praſtò Deus?
Audi vocatus rex meos, & omnibus
Procul periclis, fortibus
Aſſere me manibus.
Rupes domuſque ſis mihi fortiſſima
Et fata contra peſſima,
Me bone dux animæ.
Propter tuum me nomen, ô Dux, ducito
Et, cum vagando ceſpito,
Ipſe pedes regito.
Servator orbis impiorum caſſibus,
Tuis ſtupende viribus,
Erue me manibus.
His credo me, tu creditum ne deſeras.
Sed pacta ſervans, aſſeras,
Auxiliumq; feras.
Odi ſequentes vana vanos ſomnia.
Fretus tui fiduciâ
O bonitas patria.
Quantis ferebar recreatus gaudiis!
Ereptus ex anguſtiis,
Vindice te, variis.
Lethiq; clathris expeditus horridis,
Hoſtisque technis callidis
Auxiliis validis.
Et nunc (dolore namq; fractus tabui)
Servi Iehovah, cernui
Iam miſerere tui.
Perit diurna penè vita luctibus,
Dat damna tabes oſſibus,
Vix gredior pedibus,

*Sum riſus hoſti, proximi me neſciunt,*
*Et quâ venire me ſciunt,*
*Ne coëant, fugiunt.*
*Sic me morantur, ut cadâver in viis,*
*Teſtasq́ꝫ, paſſim noxiis*
*Dilaceror labiis.*
*In me furores deſpuunt heu felleos!*
*Ponuntq́ꝫ paſſim ferreos*
*Huic capiti laqueos.*
*Sed dum mihi tu pœna, contumelias,*
*Ronchos, minas, & avias*
*Nil moror inſidias.*
*Tu das, & idem noſtra ſervas ſtamina,*
*Dextrâ, ſiniſtrâ, fulmina*
*Da ſuperem gemina.*
*Vultu ſereno me miſertus reſpice,*
*Tuasq́ꝫ vires ſuffice,*
*Et miſerum refice.*
*Ne me ſpei pudeſcat, æmuli ruant,*
*Saccumq́ꝫ turpes induant,*
*Probraq́ꝫ morte luant.*
*Os obſtruatur evomens mendacia*
*Tuoſq́ꝫ devoventia,*
*Deficiant labia.*
*O quòd timentum te, Iehovah, præmium!*
*Quod teſte mundo gaudium,*
*Quodq́ꝫ ferunt precium!*
*Hos à ſuperbæ gentis aſſeris minis,*
*Proculq́ue tactu fulminis,*
*Poſſe latere ſinis.*

*Rerum parenti ſit perennis gloria,*
*In tuta nobis mœnia,*
*Qui dedit effugia.*
*Iam iamq́; , dixi : derelinquor buſtew.*
*Sed ut vocavi te Deus,*
*Mox ades umbo meus.*
*Tibi ſit inquam multa patri gratia,*
*Cui turba ſordet impia,*
*Diligiturq́; pia.*
*Huic, ô fideles, mente totâ fidite,*
*Scutoq́; tuti calite*
*Quod dolet expuite.*

## *PSA. XXXII. Beati quorum remiſſæ, &c.*

Cantent pondere criminum levati,
Ut qui ſint ope Numinis beati.

*FElix! qui ſuperos precando flexit,*
*Et cujus malefacta Iova texit,*
*Haud ullum ſcelus imputans fatenti,*
*Sed donans veniam dolis carenti.*
*Cùm morbum tacito ſinu fovebam*
*Vix artus, animo jacens, trahebam;*
*Tantùm, Iova, tuâ manu gravabar,*
*Et, ut ſidere Syrii, cremabar.*
*Ergò mole mali gravante laſſus*
*Detexi mea facta cuncta faſſus,*
*Dixi: cuncta Deo fatebor: hîc tu*
*Anguis me Stygii levas ab ictu.*
*Idem te precibus pii rogabunt,*
*Cùm lætos venia dies notabunt,*

*Et fiet; mare cùm fremet malorum,*
*Nullum fluctus ut obruat piorum.*
*Solus Iova meus redemptor audis*
*Solus tu mihi Rex apexq́ laudis.*
*Nec ſat: dux etiam tuus manebo,*
*(inquis) tequé vias meas docebo,*
*Ne mulus modò ſis, equusqúe, freno*
*Qui vix comprimitur ferox aheno.*
*Nam quæ fata parantur obſtinatis?*
*Sanctis dat veniam Iehova gratis,*
*Iuſti pſallite gaudio, renati*
*Exultate, malo gravi levati.*

## *PSAL. XXXIII. Exultate juſti in Domino, &c.*

Dei canatur veritas & gratia,
Huic fide, fallit principum potentia.

*GRex piorum iuſte plaude,*
*Et potentem ferto laude*
*Debitâ cœlo Deum.*
*Tinniat Chelys canora*
*Voce biſquinâ ſonora,*
*Carmen edens melleum.*
*Canticis novis vacando,*
*Atq́ clarè concrepando*
*Pſalle Iovam cantibus.*
*Nam ſtupendus eſt in actis.*
*Et fidelis ſtare pactis,*
*Æquus unus omnibus.*
*Ille vindex æquitatis,*

*Ejus eſt benignitatis*
*Plena mundi machina.*
*Ille verbo fecit aſtra,*
*Ille cœli mille caſtra*
*Mille fecit agmina.*
*Æquoris lymphas coëgit,*
*Inque vas fretis redegit,*
*Vnde promit conditas.*
*Tàm potenti terra tota,*
*Illius virtute mota,*
*Quin piis votis litas?*
*Ille, ſi dixit, creantur,*
*Ille, ſi juſſit, parantur,*
*Atque parent omnia.*
*Ille technas improborum*
*Machinasquê ſubdolorum*
*Diſſipat, ceu ſomnia.*
*At, quod ipſe ſancit autor,*
*Quòd movet fovetquê fautor,*
*Termini, ſtat, neſcium.*
*O ter, ô quater beatus!*
*Huic hero quisquis dicatus*
*Ejus eſt peculium.*
*Arce cœli de ſerena,*
*Huic ubi ſedes amœna,*
*Rector orbis deſpicit,*
*Inde mortales frequentes*
*Hîc, ibi, terram terentes*
*Solus omnes reſpicit.*
*Solus omnium labores*
*Inſpicit, notatque mores*
*Fabricator cordium.*

*Non ducem ſalvant cohortes,*
*Non viros ſuperba fortes*
*Magnitudo virium.*
*Non equo ſalus paratur,*
*Non lacertis liberatur*
*Miles acer fortibus.*
*At Deum timere ſueti,*
*Illius favore freti,*
*Non carent ſucceſſibus.*
*Hos tegit mortem trementes,*
*Et cibat famem timentes*
*Vindicator pauperum.*
*Cum Deo tuti latemus,*
*Nullius minas timemus,*
*Nil moramur aſperum.*
*Iova noſtra ſpes in illis,*
*Lubrica ſortis favillis,*
*Iova noſtrum gaudium.*
*O Deus ſerva clientes,*
*Te ſuam ſpem confitentes*
*Mite Numen omnium.*

## *PSAL. XXXIV. Benedicam Domino, &c.*

Grates Deus meretur,
Nam nos alit, tuetur.

*GRates ſemper agam Deo,*
*Hunc cantu referam (nam meruit) meo,*
*Hoc, quem ſors premit, audiat,*
*Exemploq́ meo triſtia leniat.*
*Mecum ſancta ſuavibus,*

Cantillans Domini nomina vocibus.
Queſtus hauſit enim meos,
Excluſitq́ꝫ metus pectore plumbeos.
Felix quisquis adhunc venit!
Quam culpa veniam quæritat, invenit
Pauper voce vocat Deum;
Mox de mille malis erspit hic eum.
Grex magni metuens Dei,
Securus gregis eſt agmine flammei.
Explorate, videbitis,
Quàm ſit magna Patris gratia cœlitis.
Felix, qui metuit Deum;
Dura nulla famis tela prement eum.
Fert ventris rabiem leo:
At nullius eget qui fruitur Deo.
Huc Gnati propere mei,
Vt vos edoceam noſſe metum Dei.
Qui longos cupis ut dies
Ducas, ſitq́ꝫ tibi plena bonis quies.
Lingua comprime fulmina,
Oris claude modi neſcia flumina.
Lauda recta, malum cave,
Et pacis ſtudio, pacificus fave.
Tales Iova beat bonis,
Clamantumq́ꝫ pater fit facilis ſonis.
Pravus torva tuens fremit,
Cujus vele gravis nomen humus premit.
Iuſti clamor adit polum;
Vt juſtum relevet, Numen adit ſolum.
Sic eſt Iova ſuis propè;

Optatâ releuat ſic humiles ope!
Torquent multa gregem pium,
Sed finem facilis dat Deus omnium.
Seruans oſſa fidelium.
Ne vis illa terat dira frementium.
Perdet Mars grauis impium,
Qui ſæuis odiis perſequitur pium.
Iuſtis certa ſalus Deus.
Felices! quibus hic murus aheneus.

## PSAL. XXXV. Iudica Domine nocen: &c.

Hîc Sycophantas optat omnes proteri,
Eccleſiæq́; pauper agmen aſſeri.

IEhoua perde, qui volunt me perdere,
Et frange telum, qui volunt me ſternere.
Scuto decorus, pulcer armis, emica,
Meoſqúe contra perduelles dimica;
Haſtamqúe vibrans caſtra diſſer hoſtica
Et vita vita ſum tua, die, unica.
O erubeſcant qui volunt me perditum,
Et quem merentur, ſortiantur exitum
Vt turbo verſat puluerem, ſic flammei
Illos rotando verſet Angelus Dei.
Sit per tenebras his iter, dum flammei
Illos rotando perdat Angelus Dei.
Quòd innocentem, me nocentes improbè
Eò parata fine, captabant ſcrobe.
O ipſe præceps hoſtis illuc irruat,
Quem cum tumultu ſubrutum ſcrobs obruat.
Meumq́; contra cor reſultet gaudio.
Vt ſola Ioua cui ſit oblectatio.

*Huic oſſa dicent noſtra, par quis eſt tibi*
*Recteq;, mirè nam ſuos ſervat ſibi.*
*Conjurat in me peſtilens calumnia,*
*Et multa vana fingit ac fallacia:*
*Malumqúe reddens pro bono me macerat,*
*Quæritqúe, vita vim meæ quod afferat.*
*Ah quos amicos peſte preſſos luridâ*
*Meos fatebar veſte tectus ſqualidâ!*
*Sodalis inſtar fratris, illorum fui,*
*Luctuqúe, tanquam matre rapta, tabui.*
*At hi jacentem me petebant morſibus,*
*Meisqúe læti geſtiebant caſibus.*
*Magnis feroces frenduerunt dentibus,*
*Scurrisqúe luſum me dedere vilibus.*
*Vides Iehova fersq; ? tandem reſpice*
*Et impetentes me leones confice.*
*Vita tibi què munus acceptum feram,*
*Et laude verâ te per Vrbes efferam.*
*O ne triumphent, caſibus læti meis,*
*Quotquot tuentur palpebris me flammeis.*
*Heu pacis hoſtes! ſola norunt jurgia,*
*Strophasqúe! ponant ut quietis retia.*
*Vt ora diſtorquent! ut, Euge, clamitant!*
*Vt, me periſſe, ſe videre jactitant!*
*O qui vides hæc, rumpe jam ſilentia.*
*Tuaq; preſſum me leva clementiâ*
*Exurge vindex, & tua ſententiæ*
*Rigore, frange vim trucem ſuperbiæ.*
*Meaqúe cauſa, juſtus adſis arbiter*
*Hoſteisqúe dele perduelles fortiter.*

Ne forte dicant, euge, victus eſt; io!
  Iactentq́; vires, geſtiantq́; gaudio.
O erubeſcant qui malis gaudent meis,
  Pudor coloret conſcius genas eis.
Contrâ triumphent, geſtiantq́;, qui, meo
  Læti triumpho ſunt ſuo grati Deo.
Quem lingua noſtra laude ſub cælos feret,
    Huic ille noctes atq́; luces auferet.

## PSAL. XXXVI. Dixit injuſtus, &c.

Hypocritarum quanta vah ſecuritas!
Sed major illa numinis benignitas.

Ponas ut aris thura frequentius,
Si non vereris Numen, es impius,
    Nam juſſa ſi Dei timeres,
    Hæc violare catus caveres.
Sis juſtus ergo judicio tuo,
Iſthac patebit tempore fraus ſuo,
    Patebit illa digna plecti.
    Impietas odiumq́; recti.
Quæcunq́; dicis, fraude mala ſcatent.
Mendaciorum plauſtra ſub his latent.
    Aures monenti recta claudis,
    Si mala quis tibi ſuadet, audis.
Vaſros ſub atrâ nocte paras dolos,
Vitasq́; callem. quo ſubeas polos,
    Iniquitati mancipatus,
    Nequitiamq́;. ſequi paratus.
Regnator orbis, quò tua veritas,
Quò ſuſtulit ſe ſumma benignitas?

Quâ pacta ſervas veritate!
Quâ toleras ſcelus æquitate!
Vis caritatis montibus altior!
Paterna ponto cura profundior!
Tu bruta, tu nos intueris,
Vivificas, reficis, tueris.
O æquitatis regula patria!
Cornuque rerum fertile copia.
Tuis ſub alis grex piorum,
Spe ſuperat pelagus malorum.
Idem, relicto poſt obitum ſolo,
Et jam locatus ſidereo polo,
Flumen voluptatum videbit.
Lætitiamque ſinu fovebit.
Tu namque vitæ fons peramanus es,
Tecum manentes læta manet quies:
Illic, fugatâ nocte tetrâ,
Nos nova dulce levabit æthra.
Servato cætus nunc etiam pios,
Et quos honeſti ſcis ſibi conſcios,
Fontem tuæ benignitatis
His aperi, Pater æquitatis.
Et me guberna, ne manus impia,
Aut pes ſuperbi, cogat in avia
Ferri meum ſubinde greſſum,
Et magis ac magis ire peſſum.
Illuc feruntur peſtiferi greges,
Illic ſit ipſis tot ſcelerum ſeges,
Trahant ruinam decidentes,
Surgere nec valeant jacentes.

*PSAL. XXXVII. Noli æmulari, &c.*

Quid æmularis, ſtare cum malos vides?
Caducus eſt flos, quem ſceleſtis invides.

*NE ſis æmulus, impii,*
*Quem res, quem placidi ſors beat otii.*
*Nam, ceu gramina, præterit*
*Quæ meſſor reſecat, vel pede proterit:*
*At ſpes ſit Dominus tua,*
*Qui te pacificum pace beat ſuâ.*
*Hic, votis facilis tuis,*
*Tutum te ſtatuit rebus in arduis.*
*Huic te credere ne time;*
*Solus quippè facit, quæ facit, optimè*
*Is præſtabit uti tua,*
*Ceu Phœbus, pietas luce micet ſua.*
*Verâ fide Deo fide*
*Nec, ſi læta malis ſors favet, invide.*
*Æſtum comprime noxium,*
*Neu ſectare ſequax æmulus impium.*
*Tranſit, ceu vapor, impius:*
*Terris ſecla bona pacis aget pius.*
*Paulum perfer, & impia*
*Quæ mirare, ruent divitis atria:*
*Contrâ nuda modeſtia*
*Natis linquet opes, amplaqúe prædia.*
*Frendet dentibus impius,*
*Inſontemqúe dolis appetit obvius.*
*Quæ ridet Deus, ut videt.*
*Nam ventura malo tot mala prævidet.*
*En enſem rapit improbus:*

En arcum ſinuat, quo pereat probus;
Sed mucrone ſuo ruit.
Arcus de manibus fractus ei fluit.
Praſtant res tenues pii.
Summis divitiis divitiis impii,
Quem vindex Deus obteret,
Quando pauperibus fautor opem feret.
Quos novit, relevat, regit,
Quos in pace bona perpetuum tegit.
Tales ſors gravis haud premit.
Nec ſi peſte fames cum valida fremit.
At fax conflagrat impia
Vt, quam cingit adeps, ignibus hoſtia.
Iniuſtus caret omnibus;
At juſto ſupereſt, quòd det egentibus.
Ditat quippè Deus pios:
Idem verſat, agit, pauperat impios.
Qui greſſus hominum regit.
His latus ſtudiis, Iova pios tegit.
His & brachia porrigit.
Hos, ſi quando labant, ut Pater, erigit.
En, qui ſum ſilicernium,
Fractum pauperie non memini pium.
Nam quamvis det egentibus.
Linquit multa tamen parta nepotibus.
Vt vivas igitur, via
I rectâ, fugiens facta nefaria.
Nam curat Dominus pios:
At cum prole ruit ſtirpitus impios.
Terra quicquid habet penus
Iuſtorum patrio jure tenet genus.
Nam tantum bona deligit.

*Sinceroq́; Deum pectore diligit.*
*Sic quos lex Domini movet,*
*Nullus turbo, pio tramite dimovet.*
*Obſervat genus impium,*
*Quâ clàm decipiat fraude virum pium;*
*At divina potentia,*
*Causâ non patitur mens cadat ut pia.*
*Ergo carpe Dei viam,*
*Et gentem perimi videris impiam.*
*Vidi, floruit impius,*
*Lauro vaſta patens brachia latius.*
*At, qui tàm benè floruit,*
*Nunquam, cum propius reſpicerem, fuit.*
*Ergo tu bene rem gere,*
*Vt vitam valeas claudere proſperè.*
*Nam veſana protervia*
*Claudet fine malo facta nefaria.*
*Iuſti certa Deus ſalus,*
*Cum ſors, & Stygia ſævit aqua palus.*
*Iuſtis ſpes Deus unica,*
*Quos à vi facilis liberat hoſtica.*

## *PSAL. XXXVIII. Domine ne in furo, &c.*

Qui ſæva ſentis mentis ægræ tormina,
Cauſam malorum poſce tolli crimina.

*CVm furore percitus*
*Sævientis ira*
*Me perenni funditus*
*Morte vis perire,*

Differ ô pœnam Deus,
Differ in furore.
Ne Stygis petam reus
Regna cum dolore.
Heu mihi, quàm ſentio
Vim tui furoris!
Corde conſtat conſcio
Nil mihi vigoris;
Territus juris tui
Sauciusq́; telo.
More ſemimortui
Ambulans anhelo.
Heu mihi! non ſum. Fui,
Ob tuum rigorem
Carne totâ tabui,
Perdidi vigorem.
Oſsibus meis quies
Nulla jam ſolutis
Eſtq́; pejus indies
Indigo ſalutis.
Hinc, meorum criminum
Vim ferendo, ploro,
Tot malorum nominum
Mole dum laboro.
Æthna tanta vertici
Eſt meo moleſta.
Ne ruam, tu ſupplici,
Rex benignè, praſta.
Nam mea poſsim pates
Carnis atra labes.

*Hinc meis membris ſcatet*
*Pus olenſque tabes.*
*Ob mea delirium*
*Lubrica juventa,*
*Turba de me vermium*
*Proſilit iacente.*
*Fractus, incurvus, gemens,*
*Ceſpito timore*
*Vixque, vix ſpiro, tremens*
*Sub gravi dolore.*
*Mœſta me videt dies*
*Membra vix trahentem.*
*Dum mihi nuſquam quies,*
*Qua levet jacentem,*
*Ceſſit à membris meis*
*Humidum titillans.*
*Tota plagis ferreis*
*Vis jacet vacillans.*
*Sanitatis in mea*
*Carne nil relictum.*
*Mens vaga flamma rea*
*Hunc mihi dat ictum.*
*Totus (eheu!) langueo*
*Luridus colore.*
*Deſtitutus, torpeo,*
*Priſtino vigore.*
*Corde contritus nimis*
*Rugio perinde.*
*Ac malis ſi maximis*
*Conterar ſubinde.*

O Pater mitiſsime
Tu preces vocantis,
Tu vides planiſsimè
Vota deprecantis.
Scis mei ſuſpiria
Cordis, & querelam,
Scis, uti mens conſcia
Quæritet medelam.
Cor vides ut palpitet
Frigido tremore!
Vtq; ſurdo me citet
Ægra mens ſonore.
Cuncta vis ſpiraminis
Cum mei receſsit,
Atq; viſum luminis
Noctis umbra preſsit.
Quos mihi vicinitas.
Quos amor jugavit
Hos gravis calamitas
Me procul fugavit
Fœditate vulnerum
Territi meorum,
Deſerebant fœderum
Vinculum ſuorum.
Interim ferocius
Hoſtis incaleſcens.
In meumq; fortius
Funus invaleſcens,
Luce clara retia
Per viam locabat,

*Inq; me nefaria*
*Multa cogitabat.*
*Hos ego ſtrui dolos*
*Cùm mihi viderem,*
*Cùm tot ingentes bolos*
*Hoſtium timerem,*
*Vt ſolet ſurdus, ſteti,*
*Et nihil loquebar.*
*Immerentem nec petì*
*Me dolo querebar.*
*Surdus, elinguis fui,*
*Cùm calumniantes*
*Intonarent ſtrenui*
*Fas nefas crepantes.*
*Oris ictus fulmine*
*Ore non loquebar,*
*Rhetorum nec flumine*
*Rem meam tuebar,*
*Quippe te mihi Deum*
*Vindicem ſciebam,*
*Advocatum te meum*
*Mente prævidebam.*
*Ah bis, ah ter, ah quater*
*Perdito clienti*
*Mi patrone, mi pater,*
*Subveni jacenti.*
*Ne maligna rideat*
*Me lues cadentem,*
*Neu triumphans gaudeat*
*Me videns jacentem,*

Quò

*Quò meos pedes Deus*
*Hac ruina multat*
*Si meo caſu meus*
*Æmulus reſultat.*
*Sum quidem dignus pati*
*Quæ fero, flagella,*
*Dignus æternum quati*
*Turbidâ procellâ.*
*Terga nam mihi quibus*
*Sunt arata ſulcis,*
*Præmium ſunt moribus*
*Debitum petulcis.*
*Sed tamen cum conterar*
*Ob ſcelus patratum,*
*Et meam ſortem querar*
*Deme iam reatum.*
*O Pater clementiæ*
*Parce confitenti,*
*Parce, culpas anxiè*
*Et diu, gementi.*
*Cur meus, me ſqualido,*
*Oſor intumeſcit?*
*Corde curq́; callido*
*Fretus inualeſcit?*
*Cur, ſuperbis viribus*
*Copiisq́; fretus,*
*Impetit me fraudibus*
*Hoſtis inquietus?*
*Cur mali mihi ſcrobem*
*Pro bono rependit?*

*Quodq́;*

*Quodq́ non malũ probem*
*Cur malus rependit?*
*Si ſecutus impia*
*Devius vagarer,*
*Impiâ calumniâ*
*Hoſtis haud gravarer.*
*Huic mea cauſa, Deus,*
*Magnus advocatus,*
*(Te vocat ſupplex reus)*
*Adveni rogatus*
*Derelicto ſubveni,*
*Subveni clienti,*
*Langvido dextram ſeni*
*Admove jacenti.*
*Quid moraris ſub premor*
*Mi Deus, venito.*
*Hac & illac it tremor*
*Parte, ſubvenito.*
*Namq́ tu ſolus mea*
*Es ſalutis autor,*
*Turris inſtar ferrea*
*Me tuere fautor.*

## *PSAL. XXXIX. Dixi cuſtodiam vias, &c.*

Lux impiorum tranſit, ut fumus levis,
Gravis piorum Crux, ſed oppidò brevis.

*CVm ſævus hoſtis me malè roderet,*
*Rebusq́ lætis ipſe vireſceret;*

*Dixi: meos greſſus tenebo,*
*Oreq́ꝫ mutus uti, ſilebo,*
*Tunc, uſa longo lingua ſilentio,*
*Verbo negabat perfugium pio;*
*Sed interrim dolor redibat,*
*Corq́ꝫ dolens refici nequibat.*
*Hinc æſtuabat cor mihi ſanguine,*
*Mox emicabant ex oculis minæ,*
*Tandemq́ꝫ mæror proruebat.*
*Linguaq́ꝫ victa malis fremebat.*
*Ergo rogabam te Dominum Deum,*
*Vt me docere hinc abitum meum,*
*Quò diſcerem mox tranſitura*
*Aſpera, fata, moleſta, dura.*
*Dixi: malorum jam veniet quies,*
*Cùm finientur, quos mihi das dies.*
*Palmo minores, cura vanis*
*Quos lacerat ſtudiis inanis.*
*Heu! inſtar umbræ cum ſit homo levis*
*Quid, rem parando, ſudat herus brevis?*
*Ignotus hæres quâ fruatur,*
*Atqꝫ ſuperbius efferatur.*
*Præſtabit ergo præſidio Deî*
*Niti, parata quàm loculis rei,*
*Quàm ſomniis umbra popellis*
*Mobilibus, vitreis, miſellis.*
*O rector orbis, tu mea crimina,*
*Tu mentis aufer triſtia tormina;*
*Tu me tuetor, ne furenti*
*Sim jocus opprobriumq́ꝫ genti.*

Heu ut ſub Æthnæ mole gravi tremo!
Contra prementem te tamen haud fremo,
Sed uſq; duro, par ꝗ; mutis,
Os reprimo dubius ſalutis.
Ah quaſo virgam, mi pater, amove,
Et dura tandem pondera ſummove
Ah ſustine me, ſustine me,
Deficio, juga dura deme:
Punire crimen cum tuus it rigor,
Corpus vigentis deſtituit vigor,
Fit veſtis inſtar exoleta,
Heu homines cinis, umbra, lethe!
Placatus audi vota Deus mea,
Et cerne quas dat mens lacrumas rea,
Dum me meorum ſorte patrum
Exitii manet hîc barathrum.
O parce tandem, parce mihi bonus,
Et deme laſſis ex humeris onus.
Ut ante reſpirem levatus,
Quàm referar ſub humum citatus.

## PSAL. XL. Expectans expectavi, &c.

Peccata delet ſola Christus hoſtia,
Hac ergo fretus cuncta vince triſtia.

SPem, licet ſeram, fovebam
Cùm gravem ferrem crucem,
Nam meis æquum videbam
Vocibus Deum ducem.
Hic enim ſqualente cœni
Erutum de gurgite.

*In jugi potens amani*
*Me locavit tramite.*
*Inde feſtivi cientur*
*Corde plauſus in meo.*
*Qui vident illud, moventur*
*Spem locent ut in Deo*
*O beatus! Iova fortis*
*Certa cui fiducia.*
*Arrogantis hic cohortis*
*Falſa temnit gaudia.*
*Quis tui favoris in nos*
*Signa poſſit promere?*
*Pro quibus qua, laudis hymnos*
*Eſt, voluptas ſcribere!*
*Non enim boves ovesq;*
*Non requiris hoſtias*
*Vota pura vis, precesq;*
*Debitasq; gratias.*
*Hoc dabo munus merenti,*
*Hujus adſum gratiâ,*
*Vt geram morem iubenti*
*Sacra verſans biblia.*
*Huc mei tendunt labores*
*Huic meis votis eo.*
*Nam tua legis lepores*
*Corde fixi ſunt meo.*
*Eſt, erit, noſtrum, fuitq;*
*Carmen aquitas tua.*
*Hanc piis pſalmis ubiq;*
*Chorda panget congrua.*

*Non tuam veracitatem*
*Obruam ſilentio,*
*Vt tuam benignitatem*
*Norit omnis natio.*
*Tu tuâ tantum foveto*
*Me bonus clementiâ.*
*Et fideliter faveto*
*Veritate patriâ,*
*Iura nam meis capillis*
*Sunt mihi, queis differor.*
*Hinc, meâ culpâ quod illis*
*Sum gravatus, maceror.*
*Ergò jam tandem, vocatus*
*Sapè, mi Deus, veni*
*Et mihi, dum vix gravatus*
*Spiro vixq́ꝫ, ſubveni.*
*Induant turpem ruborem*
*Qui malo gaudent meo.*
*Qui mihi quærunt dolorem*
*Enſe pugnent plumbeo.*
*Quos mea dolenda ſortis*
*Ira delectat truces,*
*Hos gravis ſagitta mortis*
*Per graves perdat cruces.*
*Gaudeant contrà canantq́ꝫ*
*Qui bono gaudent meo.*
*Et triumphent geſtiantq́ꝫ*
*Ac ſonent laudes Deo.*
*Sim licet pauper, potentè*
*Sum Deo cura tamen.*

*Ah meus fautor petenti,*
*Iova, mox adſis, Amen.*

## *PSAL. XLI. Beatus vir qui intelligit, &c.*

Beatus, ægri qui vicem dolet, trucem,
At perfidorum quid meretur grex? cru-
cem.

*FElix, egeno qui bonus,*
*Illius ultro fert onus,*
*Talem Iehova muniet*
*Fortiq́; dextrâ ſulciet.*
*Non hic egebit dulcibus*
*Vita beata fructibus,*
*Quin, cum tonabit aſpera,*
*Hunc ſors beabit proſperâ.*
*Si morbus ipſum ſtraverit,*
*In lectulumq́; miſerit,*
*Iehova fata triſtia*
*In læta vertet gaudia.*
*Et me tuere, mi pater,*
*Ægrum, miſellum, ter, quater,*
*Cauſaq́; morbi, crimine*
*Leva, levabis tormine.*
*Vides, ut hoſtis ſæviat?*
*Vt dira ſecum ganniat:*
*Mors, inquit, ejus nomina*
*Agat ſub orci limina.*
*Aut ſi quis ægrum viſitat,*
*Is blanda corám dictitat.*

Foriſq; rodit clanculum,
Hoc oris ejus pabulum.
De me ſuſurrat in foro
Suoq; permiſtus choro,
Conjurat in necem meam
Ructansq; vocem felleam:
Patrabat (inquit,) impia,
Hinc juſta ſumit præmia;
Relinquet hoc ergaſtulum
Lethi bibendo poculum.
Sed & ſodalis intimus,
Cum quo ſedebam plurimus,
Cum quo fruebar ferculis,
Meis adhæret æmulis.
At interim meus manes,
Qui fine demto permanes,
Tu me miſertus reſpicis,
Sceptrisq; rurſum præficis.
Signo favoris hoc tui
Me cerno per ſpem perfrui,
Dum me tueris, hoſtibus
Ne præda ſim frendentibus.
Dum criminis puro caves,
Locumq; te corâm faves,
Securus ut laudes ibi
Perennè decantem tibi,
Quem laudat hîc & hîs agens
Ex Iſraële nata gens,
Hunc laudet omne ſeculum
Omnem per orbis angulum.

## PSAL. XLII. *Quemadmodum deſiderat cervus, &c.*

Triſti Pharmaca pectori
Hinc promēt, anima qui metuent mori.

*FEſſus ut curſu ſtrepentes*
*Cervus undas appetit:*
*Sic tuos vultus nitentes*
*Noſtra, Iova, mens petit.*
*Te ſitit maſtis gravatus*
*Spiritus ſingultibus:*
*Ah tuis quando levatus*
*Perfruetur vultibus!*
*Lacruma, nullo cadentes*
*Fine, ſunt panis meus:*
*Cum mihi dicunt potentes:*
*Nunc ubi tuus Deus?*
*Interim tuis remotus*
*A ſacris & cultibus.*
*Aridus ſqualore totus,*
*Hareo vix oſsibus.*
*Quid doles? vultum ſerena*
*Freta Iovâ mens mea*
*Spe prius dies amœna*
*Fata pellet fellea.*
*Tu tuum tantum clientem,*
*Mi Deus ne deſpicias?*
*Sed gravis luctus gementem*
*Lata fata reſpicias?*

*Te memor ſub corde geſto*
*Sive Iordanem colo,*
*Seu vagor, mœſtusq́ reſto*
*Montes Hermonis ſolo*
*Heu mihi! quantis malorum*
*Pene mergor luctibus!*
*Icluum quando tuorum*
*Mille tundor fluctibus.*
*Me tamen tua levabit*
*Gratia promiſſio.*
*Quam mea lyra ſonabit*
*Nocte ſera cantio.*
*Tunc tibi dicam: quid uſq́*
*Immemor manes mei?*
*Cur dolore luctibusq́*
*Maceror, pauper ſpei?*
*Differor: cùm fex maligna*
*Verba fundit aſpera:*
*En ubi tibi benigna*
*Nunc Tonantis dextera?*
*Quid doles? vultum ſerena*
*Freta Iova, mens mea.*
*Spe prius dies amæna*
*Fata pellet triſtia.*

## *PSAL. XLIII. Iudica me Deus, &c.*

Expes & exul David hoc odario,
Optat ſuorum ſe choro reddi pio.

*V*Ltor innocentium
*O Deus virorum,*

Advocatus ſis meus,
Frange vim malorum,
Fraude gentis callida
Dum petor protervè.
Subveni, ne perfida
Vt cadam caterva.
Subveni, nam tu meum
Robur es Deusq́ue.
Derelictum me reum
Cur repellis usq́ue?
Deſtitutus cur tuo
Mareo favore?
Cur Tyrannis me ſuo
Territat furore?
Veritatis cœlitis
Da mihi lucernam,
Vt tuis in ſemitis
Cuncta ritè cernam,
Vtq́ue tangam montium
Verticem tuorum,
Sunt ubi canentium
Te chori piorum.
Hic tuis, ô arbiter,
Advolutus aris
Cantibus ſuaviter
Te ſonabo raris,
Laudibusq́ue nablium
His meum vacabit,
Teq́ue noſtrum gaudium
Perpetim ſonabit.

*Maſta quid fles mens mea?*
*Quid gravas dolentem?*
*Spem loca firmam rea*
*In Deum parentem.*
*Nam meæ fiducia*
*Hunc fatebor aram.*
*Dum traham vitam piè*
*Tot malis amaram.*

## PSAL. XLIV. *Deus auribus noſtris, &c.*

Ut piis ſunt fata crux,
Sic ejsdem vota lux.

*QVa noſtris bona patribus*
*Feciſti, Deus, his hauſimus auribus.*
*Gentes hinc ut abegeris,*
*Noſtrorumq́; patrum germina ſeveris,*
*Non illi gladio ſuo*
*Rem tantam poterant, ſed clypeo tuo.*
*Tu rex noſter es, & Deus*
*Tu, quod ſemper eras, murus aheneus,*
*Hoſtes, te duce, fudimus*
*Et fuſos valido ſub pede preſſimus.*
*Hac non geſſimus enſibus*
*Non ſtrages pharetris mille minantibus,*
*Tu nos hoſtis ab impetu*
*Tu ſævo trepidos, erueras, metu*
*Ergo quottidie pias*
*Reddunt noſtra tibi nablia gratias.*
*At nunc marte ferocibus*
*Præda, fers, miſeri ſimus ut hoſtibus;*

*Hinc quò, te ſine, tendimus,*
*Semper reiicimur, tergaq́ue vertimus.*
*Vt grex, rodimur hoſtibus*
*Gens cunctis miſerè dedita finibus,*
*A te vendita gentibus.*
*Gratis, vel preciis (heu mihi!) vilibus.*
*Hinc noſtris iocus hoſtibus,*
*Viciniſq́ue ſumus fabula gentibus.*
*Nictantes caput hæ movent*
*Torquent labra, tuis vulnus ut innovent.*
*Sors hæc dum malè nos rotat,*
*Vultus dejicitur, labra rubor notat.*
*Blaſphemantibus hoſtibus*
*Et nobis tumidè dira minantibus.*
*Sis paſſis tamen ardua,*
*Non oblita tuis fœdera ſunt tua.*
*Nunquam devia trivimus*
*Sed quà nos tua Lex duxerat, ivimus.*
*Quamvis mors cita caſſibus*
*Prenſos objiceret mille Draconibus.*
*Quòd ſi non ita viximus,*
*Idoliſq́ue leves brachia pandimus,*
*Tu, quem nil latet abditum,*
*Tu nos i ſubito turbine perditum.*
*Sed te propter ab hoſtibus*
*His, ut grex ovium, tundimur ictibus.*
*Tandem ſurge, bonus tuis,*
*Cur ſic negligimur rebus in arduis?*
*Cur condis tua lumina?*
*Cur nos dira premunt undiq́ue tormina?*

*Aufer pondera, quaſumus;*
*En affixa malis turba ſolo ſumus.*
*Surgens porrige brachia*
*Evictus patriâ, dux bone gratiâ.*

## *PSAL. XLV. Eructavit cor meum, &c.*

Hic David ſponſos celebrat natumque nurumque:
Tu cane Meſſiam, quem ſcis hominemq; Deumq;.

*Cordu chorda mei ſubſiliens, micat;*
*Et quàm lætitiâ geſtiat, indicat;*
*Scriba lingua manum vincere nititur,*
*Regi tam cito volvitur!*
*O Rex terrigenis pulcrior omnibus!*
*O ſuada variis grate leporibus!*
*Queis te mira patris gratia jugiter*
*O rerum beat arbiter!*
*Quin heros igitur ſceptriger emicas?*
*Quin ſumis gladium, quo benè dimicas?*
*Prodi, quò tua ſit nota potentia*
*Mundi regna per omnia.*
*Procedant Comites, hac eat æquitas,*
*Hac, indocta dolos cudere, veritas*
*His, miſcens populis prælia proſpera,*
*Clareſcat tua dextera.*
*Sunt, ſunt tela tibi, vis quibus hoſtium*
*Frangatur temerè ſtulta minantium.*
*His evicta pedes procidet ad tuos,*
*Gens oblita Deos ſuos,*

Demto fine, tibi ſtat tua regia,
Bellorumq́ quati turbine neſcia,
Sceptrum recta tuum dirigit æquitas
Emollitq́ benignitas.
Hæ cordi comites ſunt tibi jugiter,
Hinc te læticia Iova benigniter
Perfundens oleo plus aliis beat,
Ne quid mens tua mæreat.
Myrrhas & caſias artubus à tuis
Fundis, te quoties veſtibus induis,
Ex illis adeò ſuaviter editus,
Omnes recreat halitus.
Stant juxta famulæ regibus editæ,
His cultu rutilant corpora divite;
At regina latus claudit ovans tibi
Auro tota nitens ibi.
At tu regis amor reſpice, filia.
Ut quâ ſis, reputes, aurea gloriâ,
Iam curam generis reijce patrii
Cœleſtis memor atrii.
Hac regi fueris dote decentior,
Hoc illi venies nomine carior.
Hunc ergo Dominum grata decentibus
Cœlis infer honoribus.
Tunc perpulcra Tyrus dona tibi feret,
Et majora potens mox Pharos aggeret.
Cùm donis venient ad tua limina
Orbis maxima lumina.
Extus non niteas regia filia,
Intus tota nites divite gratiâ,
Ergo jure places aurea moribus,
Et ſanctis pia cultibus.

*Hoc ſplendore nitens, filia, veſtium*
*Adducere tui regis in atrium,*
*Huc tecum veniet virgineus chorus,*
*Regis quò niteat thorus.*
*In tantis hominum plauſibus omnium.*
*Procedens tibi rex ſe feret obvium,*
*Cujus quando coles lata palatia*
*Duces dulcia gaudia.*
*Iam curam generis ponito patrii,*
*Nati pro patruis ſunt tibi filii,*
*Hos tu perpetuos conſtitues duces,*
*Hoſtes qui ſubigant truces.*
*Tum te perpetuum mente memor geram.*
*Et veris meritam laudibus efferam.*
*Seris cuncta canent te loca ſeculis*
*Cunctis, orbis in angulis.*

## *PSAL. XLVI. Deus noſter refugium, &c.*

### Autor Deus victoriæ.
### Suæ favens Eccleſiæ.

*EN Deus noſtra columen ſalutis,*
*Et ſpes malis in ultimis.*
*Nunc ab his nobis licet eſſe tutis,*
*Quæ territabant nos nimis.*
*Ergo plaudemus, poſito timore,*
*Turbatus orbis ut tremat,*
*Ut ruant montes pavido tremore*
*Succuſſa tellus ut gemat,*
*Ut ſonet dirum mare vorticoſum,*
*Ut proruens ebulliat.*

*Vt trahat montes male tortuoſum*
*Campiſq; latè ſæuiat.*
*Interim ſacris Domini dicata*
*Vrbs ſancta ducit gaudia,*
*Dum ſacri verbi fluuio rigata*
*Haurit mali ſolatia.*
*Nam Deus præſens opis indigenti*
*Et fluctuanti ſubuenit.*
*Quando matura facilis petenti*
*Cura pericla præuenit.*
*Proruant gentes, grauibuſq; bellis*
*Tumultuentur omnia,*
*Ad Dei vocem properè rebellis,*
*Orbis ſileſcent iurgia.*
*Ioua nobiſcum manet & manebit,*
*Huic caſtra parent omnia,*
*Ille cum partes bonus has fouebit*
*Tutò geremus prælia,*
*Huc cito paſſu properè volate,*
*Qui mira vultis cernere.*
*Bella ſiſtentis memores notare*
*Opus ſtupendum dextera.*
*Lanceas fregit Dominus feroces.*
*Contriuit arcus cornuos.*
*In fugam vertit populos atroces*
*Vſſitq; currus æneos,*
*Proin, ait: tandem populi, vacate*
*Quos Sol uterq; conſpicit,*
*Et meas vires validas notate*
*Quas totus orbis ſuſpicit.*

*Iova nobiſcum manet, & manebit,*
*Huic caſtra parent omnia,*
*Ille cum partes bonus has fovebit,*
*Tutò geremus prælia.*

## PSA. XLVII. Omnes gentes plaudite, &c.

Chriſtus alta ſcandit aſtra,
Hoc triumphant ſancta caſtra.

*INcolæ mundi frequentes*
*Mille plauſus edite,*
*Et piâ pſalmos canentes,*
*Laude Iovam tollite.*
*Nam Deus noſter verendus*
*Solus eſt mirabilis,*
*Solus omnibus timendus*
*Atq; formidabilis.*
*Ille vi ſumma ſubegit*
*Colla gentis effera,*
*Et jugum noſtrum coëgit*
*Vnus omnes tollere.*
*Ille nos bonis beavit*
*Affluenter omnibus,*
*Vnde gloriam paravit*
*Iſaci nepotibus.*
*Ille victor ſcandit aſtra,*
*Quem tubis clangentibus*
*Iubilisq; ſancta caſtra*
*Proſequuntur laudibus.*
*Ergò regi tàm potenti*
*Quisque laudes dicite.*

*Atq; totius regenti*
*Regna mundi pſallite.*
*Ille rex eſt, ille cunctis*
*Iura dicit gentibus.*
*Ergo laudum iure punctis*
*Prædicatur omnibus.*
*Ille ſublimi nitentis*
*Arce conſidens poli,*
*Sub jugum ſuum jacentū*
*Regna ſubmittit ſoli.*
*Hinc duces terræ frequentes*
*Ad Dei cœtum ruunt.*
*Et Deo ſcuto latentes*
*Hinc & inde confluunt.*

## *PSAL. XLVIII. Magnus Dominus, &c.*

Sit fortis arx Sionia,
Plus hac poteſt Eccleſia.

*TErrarum Dominos per populi tribus*
*Alter tergeminis tollat honoribus:*
*Nobis magne Deus carmen eris pium,*
*Qui fers in populum ſceptra Sionium.*
*Hîc tu conſpicuus cerneris omnibus,*
*Verſis ad Boreæ flamina ſedibus;*
*Hîc aurata tuæ mœnia regiæ,*
*Lata mira cient gaudia patriæ.*
*Hîc ſancti populi caſtra tibi legis*
*Quæ ramis oleæ fructifera tegis;*
*Hic illis tua ſunt tuta palatia*
*Sanctis aræ tuis hoſtibus invia.*

Conjurata lues huc gravis irruit
Et ſancti tumilis montis inhorruit,
Quàm ſævis ſtrepuit ſervitium minis!
Alti more ruens undiq; turbinis.
At pulcra Solymæ tuta palatia,
Præſentis Domini freta potentiâ
Vt cernit, trepida genûa labant metu,
Ergò præcipiti diffugit impetu.
Qualis parturiens fœmina dum gemit
Torpet tota, metu cor pavido tremit:
Sic hoſtes Dominus; quos Solyma memor
Difflavit, ſubitus corripuit tremor:
Nam qualis Deus, & quantus inhorruit?
Quo vocis miſeros turbine terruit?
Vidiſſes trepidos hinc, ſed & hinc quati
Iactatæ ſimiles flaminibus rati.
Famæ facta fides jam ſua, vidimus
Quæ quondam patulis auribus hauſimus.
Rerum Iova parens quæ ſibi condidit.
Semper tuta piis, mœnia reddidit.
Illa ſede tibi nos, Deus arbiter,
Laudis deferimus munera jugiter;
Illic templa tuæ dedita gratiæ
Te ſolum celebrant, & reſonant piè.
Illinc fama tui nominis omnibus,
Orbis clara meat didita finibus,
Diſpenſansq; tuæ cuncta manus vigor.
Exterrensq; malos iuſticiæ rigor.
Hæc rupes videant tecta Sioniæ
Iudæ progenitæ ſanguine filiæ,
Intentaq; ſui judiciis Dei.

Hymnos dent modulis dulciculis ei.
Turres circumeant & videant, quibus,
Urbs invicta ſuis iſta ſit hoſtibus,
Perluſtrent oculis alta palatia,
Et deducta polo maxima mœnia.
Urbs quantis, videant, firma ſit arcibus?
Quàm pulcris ubivis ſplendicet ædibus!
Et quantu ſtet adhuc, vel ſteterit, ſeris
Seris illa canant omnia poſteris.
Æternũm ſiquidem noſtra ſalus Deus,
In rebus dubiis murus aheneus
Hic nos morte ſuos in media tegit,
Ter felix populus, quem Dominus regit!

## PSAL. XLIX. Audite hæc gentes, &c.

Haud fides eſt certa Pluto:
Tu Deo confide tutò.

Huc omnes animis adeſte gentes,
In quacunq; ſoli plaga latentes,
Vulgus nobile cum manu potentum,
Patronusq; trahens gregem clientum.
Os meum ſapientiam ſonabit,
Et dudum meditata publicabit.
In ænigmata, quæ diu revolvo,
Os tandem modulis novis reſolvo.
Dives rem parat, incubatq; parta,
Hac cur ſordidus uſq; vexer arte?
Spem dives locet in bonis paratis;
Nobis non libet eſſe ſic beatis.

*Nam quis de nece, ferreiſque clathris*
*Chari corpus emit, rapitve fratris*
*Auro vita dato nequit parari,*
*Nec fatum loculus poteſt morari.*
*Vivaces quoq; mors amara merſat,*
*Quæ lethi gravis amne cuncta verſat.*
*Sit ſtultus, ſapiénsve, re relictâ,*
*Cùm mors iuſſit, init ſepulcra picta.*
*Hæc illis erit haud ſuperba ſedes,*
*Queîs nunc magnificæ coluntur ædes.*
*Fama fumus erit ſolo jacentum,*
*Et brutis obitus pares habentum.*
*Proles ſtulta tamen patres ſequetur,*
*Opum dum ſtudio pari trahetur.*
*Quam mors more lupi trucis vorabit,*
*Et cæca tenebris Stygis gravabit?*
*At triſti pia gens ſolo levata,*
*Fremet lætitiâ, polo locata.*
*I nunc, & tumidos time potentes,*
*Famæ nomine fumeæ frementes.*
*Non illos ſua res comes ſequetur*
*Nec laus, quæ variè Notis trahetur.*
*Vt ſint ergò ſibi ſatis beati.*
*Mundi feſta colántque delicati.*
*Extincti ſubitò patres ſequentur,*
*Et nigræ tenebris Stygis prementur.*
*Ignoto miſerè ſolo jacentes,*
*Et brutis obitus pares habentes.*

## *PSAL. L. Deus Deorum noſter, &c.*

Hic ipſe de cultu ſuo Deus ſonat,
Hypocritasq́; jure taxans, detonat.

*QVi jura dicit regibus Rex omnibus*
*Citabit omnes omnibus de finibus.*
*Suaq́; legis congregatos lumine,*
*Perſtringet alto de Sionis culmine.*
*En jam venit, jam non ſilebit, impia*
*Iam facta plectet aſpera ſententiâ.*
*Teſtes vocabit aſtra, terras, aquora,*
*Dum cuncta iudex judicabit pectora.*
*Adeſte, dicet, caſtra nobis dedita,*
*Quibus ſacrorum ſumma ritè credita.*
*Ibi renidens aula cali flammei,*
*Dictum probabit omne iudiciû Dei.*
*At ille; teſtis Iſraëlis gens ades*
*Gens noſtra, tota fonte qua meo mades*
*Non arguam te, quòd gregi peperceris,*
*Meas quòd aras haud cruore ſparſeris.*
*Nam quid tuam rem, quid tuum poſcam bovem,*
*Hircumq́; ? raptam quid tuis caulis ovem?*
*Mei greges ſunt, quotquot in ſylvis latent,*
*Et quotquot almi ruris in campis patent.*
*Num te rogabo, ſi fames me preſſerit?*
*Et quippe noſtrum, terra quicquid egerit.*
*Non carnis ullâ gaudeo pinguedine,*
*Nec immolati lator hadi ſanguine.*
*Tu vota laudis da mihi tuo Deo,*
*Gratesq́; ; Nectar hoc ſapit cordi meo.*

*Opem roga me rebus anguſtis meam,*
*Praecone quo te liberator gaudeam.*
*Idem ſceleſto dicet orbis arbiter:*
*Quid tu meâ te lege jactas turpiter?*
*Meumq́ narras fœdus auditoribus,*
*Cum juſſa noſtra mille fœdes lapſibus!*
*Cum fure viſo furta patratum ruis,*
*Mœchis adulter ut comes ſis, proruis;*
*Fers ora fœta tortuoſis nexibus,*
*Linguamq́ plenam vocibus fallacibus,*
*Cujusq́ pronus derogare nomini,*
*Ah, nec tuorum parcis oſor ſanguini!*
*Parem putabas, quòd tacebam, me tui*
*Iam cuncta plectam, qui diu lenis fui.*
*Hæc cogitent, me quotquot obliti Deum,*
*Ne quâ rigorem ſentiant ſerò meum:*
*Qui debitis me gratus ornat laudibus,*
*Per me malorum liber exit nexibus.*

## *PSAL. LI. Miſerere mei Deus, &c.*

Heu grave naturæ, ſubigens peccare, venenum!
Ne peream vultum Dominus mihi monſtret amœnum.

*O Deus mirâ bonitate lenis,*
*Sis meis mollis facilisq́ threnis:*
*Et tua ſolus mea vi medela*
*Crimina dele.*
*Amplius culpas maculasq́ munda*
*Et meum ſacrâ lave pectus undâ,*
*Linquat ut noſtri nota fœda ſordis*
*Scrinia cordis.*

*Nam mea culpa fateor reatum,*
*Et cor agnoſco maculis notatum,*
*Semper obverſant mihi tetra mentis*
*Facta nocentis.*
*Ah tibi ſoli ſcelerum meorum*
*Sum reus, ſoli tibi rex polorum,*
*Vincis, heu cauſa cado, te Tonante*
*Cuncta notante.*
*Eſſe vix capi, ſimul ille rivus*
*Atq; fons, cœpit ſcelerum nocivus.*
*Ventre materno mihi tracta mentis*
*Culpa nocentis.*
*Hoc queror de me, fateorq; mentem*
*Nam tibi gratam ſcio confitentem.*
*Deſipit, quisquis fugit hîc peractum*
*Prodere factum.*
*Prodo, tu faßi ſcelus expiato*
*Et cor hyſſopo relevans lavato,*
*Iamq; mundatus, nive plus nitebo*
*Atq; placebo.*
*Nuncium latum mihi, Iova, mitte,*
*Et meos lapſus facilis remitte,*
*Gaudio per te fruar ut, remoto*
*Crimine toto.*
*Ne meas culpas nimis intuere;*
*Haud tuos vultus queo ſuſtinere.*
*Sordibus fœdis ſcelerum ſcatentem*
*Ablue mentem.*
*Criminis purum mihi cor creato,*
*Inq; me poſthac habita renato,*
*Spiritum ſanctum renovando ciſtâ*
*Cordis in iſtâ.*

*Da fide cerni mihi te parentem,*
*Da tuam ſpectem faciem faventem,*
*Spiritum ſanctum neq; deinde menti*
*De me nitenti.*
*Adjuva curis ſaltam ſolutis,*
*Et fruar dono ſolidæ ſalutis.*
*Vt domem mentis ſuperemq; motus*
*Flamine fotus.*
*Tunc vias rectas alios docebo*
*Et, tuam quærant ut opem, monebo.*
*Semitam plures adamare rectam*
*Te duce flectam.*
*O reum tantum necis expiato,*
*Meq; tot culpis ſcelerum levato,*
*Vt canam laudes tibi tàm benigno*
*Carmine digno.*
*Tu mei plectrum rege ſolus oris,*
*Vt tibi cantem modulis canoris:*
*Vtq; dem latum recinens ſonorem*
*Laudis honorem.*
*Hæc enim cordi tibi ſunt beato,*
*Numen hæc placant data corde grato.*
*Victimas ſpernis proprio tumentis*
*Robore gentis.*
*Spiritus fractus, minimè doloſum*
*Pectus, & ſemper mala cor peroſum*
*Hæc polos rumpunt, ſcelus hæc opacant*
*Numina placant.*
*Pœnitet, tandem facilis Sioni*
*Da, pater, turres ibi poſſe poni,*

*Ut ſtruant tuto Solymæa duros*
*Agmina muros.*
*Tunc tibi cuncti pia vota ſolvent,*
*Ad ſacras aras vituloſq; volvent.*
*Tunc cadet ſacro tibi pinguis ultrò*
*Hoſtia cultro.*

## *PSA. LII. Quid gloriaris in malitia, &c.*

Vt judex gravis eſt Deus malorum:
Sic vindex minimè piger bonorum.

*FErox Tyranne quid fremis?*
*Quid fraudibus pios premis?*
*Quos Iova conditor fovet,*
*Hos ſervat, auget, promovet.*
*Tu crudus horis omnibus*
*Vacas nefandis artibus,*
*Tuaq; linguâ conteris,*
*Vt ictibus ferri feris.*
*Plus vim moraris impiam,*
*Quàm ſimplicem recti viam,*
*Tuoq; cordi falſitas*
*Eſt cara, vilis veritas.*
*Mens nata fraudes cudere,*
*Et innocentes perdere,*
*In te, ſceleſte, ringitur,*
*Doloſq; comminiſcitur.*
*Impune non tamen feret,*
*Nam te Iehova conteret,*
*Tuoſq; tecum funditus*

*Altos coërcens ſpiritus.*
*Hoc eum videbit grex pius,*
*Deum timebit, ut prius,*
*Riſuq; juſta, tunc tibi*
*Tyranne perſolvens ibi;*
*En iſte (dicet) turpibus*
*Dudum ſuperbus artibus,*
*Contemtor audax Numinis*
*Noſtriq; tortor ſanguinis,*
*Spem collocarat in bonis*
*Parti doloſè Mammonis,*
*Suosq; ſeq; turpibus*
*Vincens ſubinde fraudibus,*
*En ut jacet, cum patriâ*
*Me Iova fulcit gratiâ,*
*Vt ſint olivæ floridæ*
*Præ me caduca, flaccida,*
*Hoc flore lætus, te Deum*
*Laudabo patronum meum*
*Piis fidelem vindicem*
*Malis ſeverum judicem.*

## *PSAL. LIII. Dixit inſipiens in corde, &c.*

Time, gravi fex labe plena,
Nam quæ tibi parata pœna!

*INſanientis gens ſapientia*
*Hæc vana ſecum cogitat impiè:*
*Non eſt Deus: proin cogitandis*
*Turpibus incubat, & patrandis.*
*Deus retorſit lumina de polo,*

*Si fers vel unum cerneret in ſolo,*
*Cui vita fœda diſpliceret.*
*Et pietatis iter placeret.*
*Invenit omnes ſordibus oblitos,*
*Omnes nefandis moribus obſitos.*
*Nec unus eſt pius repertus,*
*Quiſq; fimo ſcelerum refertus.*
*Et hoc (ait rex qui regit omnia)*
*Vt ſic inultum fex ferat impia?*
*Quæ panis inſtar, ſervulorum*
*Devorat omne genus meorum?*
*Non auferet, jam perſequar hos memor.*
*Iam cæcus agros corripiet tremor.*
*En oſſa fractis diſſipantur,*
*Atq; rubore genæ notantur.*
*Promiſſa ſanctis alma ſalus veni.*
*Et compeditis unica ſubveni,*
*Tunc Iſraëlitæ frementes*
*Lætitiâ, ſalient canentes.*

## *PSAL. LIV. Deus in nomine tuo, &c.*

Hæc David orat à Siphæis proditus,
Quos ut ſceleſtos vult perire funditus.

*AVdi vota parens, quæ tibi profero.*
*Hoſtis da fugiam vim pede libero.*
*Vt laus ſit tibi ſoli*
*Lamentante fabro doli.*
*Audi vota, parens, quæ geminans fero*
*Dum fato variè torqueor aſpero,*
*Ad queſtus ô amicas*
*Quin aures bonus applicas?*

En hoſtes Athei perdere me ruunt,
Et vitæ fabricas mille meæ ſtruunt.
Nec, dum dira volutant,
Vltorem fore te putant.
At tu ſemper ades præſidium meum,
Tu ſcutum mihi, tu robur aheneum.
Te ſpem clamo ſalutis
In rebus propè prorutis.
Tandem redde malum, redde mali fabris
Auſis mente nefas, atq; minas labris,
Da promiſſa videre,
Et, qui me terit, obtere.
Tunc à ſorte meis redditus ultimâ
Reddam vota tibi divite victimâ,
Et cantabo patronum
Te ſemper miſeris bonum.
Nam tu propitius me facis hoſtium
Deſpectare greges triſte cadentium
Et gaudere, malorum
Dum ſpecto perimi chorum.

## PSAL. LV. Exaudi Deus orationem, &c.

Hic optat, ut grex diſpereat malus,
Pioſq; dulcis dulcè beet ſalus.

AVdi vota Deus mea,
Vultu meq; tuo reſpiciens bea.
Quos ducam gemitus, vide
Defecis rabie dum queror invida.
Quæ queîs ſpirat atrox minis!

Nil non objiciens improba criminis.
Hinc pectus mihi palpitat,
Quod mortis facies horrida territat.
Ingens oſſa quatit pavor
Tantâ mole mali totus ubi gravor.
Proin mecum loquor: ô citis
Hinc pennis utinam deferar alitis!
Suſpectis procul à focis
Vt ſolis requiem tutus agam locis.
Pulsâ ſollicitâ morâ
Feſtinus fugerem tam mala tempora.
O fraudis ſibi conſciæ
Liverisq́; Deus, contere mentes.
Ius illic miſerum jacet
At vis cum rabie, cumq́; dolis placet.
His urbis medium patet,
Hoc vici facies cuncta male ſcatet.
Si me fraus premeret mei
Hoſtis, præriperem mille vias ei.
Nunc tu dux meus, improbe,
Ignotâ perimi me cupis in ſcrobe.
Cui me, cui mea credidi
Cum quo vota Deo debita reddidi.
Cur his Styx fera non patet?
Quorum fœda domo nequities latet.
At me liberet à nece,
Supplex ſollicitâ quem rogito prece,
Dùm me cælitus audiat
Et, quam poſcit opem, mens mea ſentiat,
Tot defuncta tumultibus,
Et tutis patria reddita ſedibus.
Rerum ſumme parens, truces

*Tu perdes meritâ morte mali duces,*
*Vt qui pacificos premant,*
*Et vi peſtiferâ fœdifragi fremant.*
*Vox his lactea, mellea*
*Molli par oleo, mens fera, ferrea.*
*At ſpes ſit Dominus tua,*
*Iuſtum ſorte premi qui vetat ardua.*
*Iam, qui cæde madet, ruet;*
*At de mille malis me Deus eruet.*

## *PSAL. LVI. Miſerere mei Deus, quoniam, &c.*

Rex ſperat, hoſtes ſpernit, orat, hinc vides,
Quid poſſit in Deum fides.

*IAm meos tandem miſerate queſtus*
*Conditor rerum prohibe, ſceleſtus*
*Devoret ne me peregrè clientem*
*Hoſtis agentem.*
*Non dies, non nox abit ulla, mille*
*Quâ mihi non det mala ſævus ille,*
*Hæc cient facto, fera bella plures,*
*Agmine fures.*
*Sed cient fruſtrà; trepidum timorem,*
*Hoſtium; nec non fatuum tumorem,*
*Spes tuâ nitens bonitate pellit,*
*Atq; refellit.*
*Veritas fulcit tua me relictum,*
*His ſpei ſcutis validis amictum*
*Quid caro lædet? Iova cui favebit*
*Nemo nocebit,*

*Luce me totâ mala turba prenſat,*
*Et novas artes, nova caſtra denſat.*
*Quæ loquor, torquent alio ſiniſtri*
*Dicta magiſtri.*
*Conferunt diras operas potenter,*
*Atq; me ſervant, quid agam, latenter.*
*Dum mei guſtum ſitiunt cruoris*
*Omnibus horis.*
*Hunc ferent impunè gravem reatum?*
*Haud ferant; ô plecte cor obſtinatum:*
*Fracta ſuccumbat tibi lingua, dirâ*
*Triſtis in ira.*
*Scis fugam noſtram Deus & labores,*
*Scis tot expreſſos gemitu dolores,*
*Vtre nam noſtras lacrymas Sionis*
*Mente reponis.*
*Iam ferox hoſtis fugit en retrorſum,*
*Et malum damnat ſuperatus orſum,*
*A meâ cum parte videt levantem*
*Signa Tonantem.*
*Gentis humanæ pater atq; princeps,*
*Sic meus vindex maneas deinceps,*
*Vt canat patrem mea te Camæna*
*Divite venâ.*
*In Deo ſpes eſt mea fixa ſolo,*
*Ad minas hoſtis trepidare nolo:*
*Quid morer carnem? Iova cui favebit*
*Nemo nocebit.*
*Huic pias laudes ego perſonabo,*
*Huic reus voti precibus litabo,*
*Donec infringet mihi dente noto*
*Stamina Clotho.*

*Nam meus vindex Deus eſt, ab illo*
*Fultus, haud quicquam pedibus vacillo.*
*Ille me reddet trepidi cupita*
*A nece vita.*

*PSAL. LVII. Miſerere mei Deus, &c.*

Salutis ut fons eſt Jehovæ gratia,
Sic finis ejus gloria.

*O Deus tuis ſub alis*
*Me fovendo, ſubveni.*
*Et priusquam Martialis*
*Turba vincat, adveni.*
*Te voco, parens benigne,*
*Nam mei tu ſupplicis*
*Perduelles perdis igne,*
*Viq; fanum disjicis.*
*Ex olympi me juvabis.*
*Arcibus ſtellantibus*
*Meq; calcantes gravabis*
*Mille probris turpibus.*
*Huc tui te devocabit*
*Numinis clementia*
*Et fides, quam liberabit*
*Dextera fraudis neſcia.*
*Me leone ſaviorum*
*Ira cingit hoſtium.*
*Lancea dentes eorum,*
*Os vorax incendium.*
*His tuam vim de ſuperna*
*Pande ſedis limine,*

*Gloriamq́ ſempiterna*
*Prode legis fulmine.*
*Retibus petor malorum*
*Solus in convallibus;*
*Sed ſuis grex perditorum*
*Opprimetur caſsibus.*
*Hoc tibi ſemper paratus*
*Vota reddam nomine,*
*Teq́ prædicabo gratus*
*Multiformi carmine.*
*Surge barbyto: , lyraq́,*
*Surgat & pſalterium;*
*Surgo primâ luce, teq́*
*Concinam, lux gentium,*
*De tuâ benignitate*
*Hîc & illic diſſeram.*
*Perq́ue cuncta regna latè*
*Munus illud efferam.*
*Nam tui parens, amoris*
*Aſtra tangit, æquitas*
*Nubibuſq́ue celſioris*
*Veritatis claritas.*
*O Deus me vindicando*
*Robur ingens exere,*
*Et tuas laudes, domando*
*Hoſtis auſus, aſſere.*

*PSAL. LVIII. Si verè utiq; juſtitiam, &c.*

In his Gnatones impetuntur hoſtium,
Germenq; laudatur pium.

*Qvi jura plebi patria dicitis,*
*Et fræna legum tradita flectitis,*
*Quid, ut canes, muti, ſiletis,*
*Ne miſeris faciles vacetis?*
*Factis nefandis polluitis ſolum,*
*Manuq; cæcum conſuitis dolum,*
*Vmbrâ boni nefas tegentes,*
*Juraq; vi validâ prementes.*
*Prima ſub ipſo flore pueritiæ*
*Tales ab iſtis ſunt inita viæ;*
*His devii quovis feruntur*
*Et, niſi falſa, nihil loquuntur.*
*Qui, cum venenum ſub labiis tegant,*
*Audire rectum conſilium negant,*
*Aures ad illud obſtruendo,*
*Conſiliiſq; malis fruendo,*
*Sic aſpis olim callida factitat,*
*Nam cum Magi vox carmina dictitat,*
*Aures patentes cauta claudit,*
*Hinc magica nihil artis audit.*
*Contunde malas, ô Deus, hoſtium,*
*Et velle dentes ultor hiantium,*
*Sævos leonum ſiſte rictus,*
*Ne quis ab his laceretur ictus.*
*Pœnas jubeto nequitiæ luant*
*Et, ut per agros flumina, diffluant.*

Cadantq́ꝫ, teli more fracti,
Atqꝫ ſolum violenter acti.
Limax ut olim (quàm citò) liquitur,
Cum ſolis æſtu terra peruritur
Vt non, videt calos abortus,
Ante ſuos miſerandus ortus.
Vt ante rhamnos ſpinâ ſuos perit:
Sic celſa torquens aſtra Deus ferit,
Et proterit fatus malorum,
Quàm capiant apices honorum.
At juſtus illic lætitiâ fremens,
Hoſtemq́ue victor ſub pedibus premens,
Cruore caſi ſe lavabit,
Et magis hinc Domino vacabit.
Vitaq́ꝫ dicet, præmia ſunt piæ;
Sunt queis prematur fex luis impia,
Iehova tàm vindex malorum,
Quàm facilis pater eſt bonorum.

## PSAL. LIX. Eripe me de inimicis, &c.

Everſionem David optat impiis,
Opemq́; cœtibus piis.

AB hoſte ſævo me, Deus mi, libera
Qui bella miſcet aſpera,
Et ore ſicco ſanguinem ſitit meum,
Nec credit ultorem Deum.
En immerenti vi ſuperbus impiâ
Vt cæca tendit retia!
Exurge Iova, perde germen impium,
Et ſterne turmas hoſtium.

*Genteſquе cunctas viſe, nec truces ibi*
*Te ſentiant lenem ſibi.*
*Quot ſunt, canum qui more latrant veſperi*
*Vafri, petaces, efferi?*
*Ferrum minantes, Nam quis audit, inquiunt:*
*Hinc cade dirâ ſæviunt.*
*At tu vides, audisq; , ridens cœlitus*
*Fruſtrâ feroces ſpiritus.*
*Hinc eſt quod in te (vis potens, vis Enthea)*
*Semper recumbit mens mea.*
*Tu gratiâ me prævenis, & aſſeris*
*Viroſquе ſævos conteris.*
*Sed hos ſemel ne perde, mille cladibus*
*Et tot cadant erroribus.*
*Sunt quippe digni: nam quid arrogantius?*
*Quid ſol videt procacius?*
*Fraudes loquuntur impias, periuria,*
*Blaſphemias, convitia.*
*In hos ô ergò Ieva vires exere,*
*Tuumq; nomen aſſere.*
*Paßim vagentur, ut canes causâ cibi*
*Vicos per urbis hic ibi:*
*Demumq; ſerò, ſed tamen latrantibus*
*Eant inanes, ventribus.*
*At interim fidele munimen meum,*
*Vox noſtra te canet Deum.*
*Invicta cuius arx mihi ſunt brachia.*
*At ſpes paterna gratia.*

## *PSAL. LX. Deus repuliſti nos, &c.*

Sanat Deus, quos vulnerat,
Dum compeditos liberat.

*Mitis ades facilisq́ue tuis, Deus, ob ſcelus fugatis,*
*Et orbe toto penè diſsipatis.*
*Moviſti terram, gemitus dedit illa mota mirè.*
*Rimas ô ejus das pater, coire.*
*Dura tuæ genti ſpectacula fulminans paraſti.*
*Vino doloris quos inebriaſti.*
*At jam ſigna jubes nos vellere, ſic favens bonusq́ue*
*Tenaxq́ue pacti nos tuetor uſq́ue.*
*Aſſerito caram gentem tibi dexterâ potenti,*
*Mortiq́ue ſubduc anxiam furentis.*
*Audiit hæc Dominus: Sichima mihi jam roſeta cedunt,*
*Iam ſe Succhoti vallis ima dedunt.*
*Manaſſes cum fratre meus mihi ſunt, calumna Martis,*
*Iudas duces dans rebus umbo partis.*
*Enſe Palæſtina Mavortia caſtra perdomabo,*
*Nec non Idumen cum truci Moabo.*
*In tàm firma tamen quis mœnia dux mihi præibit?*
*Quis irruentem me juvare quibit?*
*Quis, niſi qui dudum nos ob mala facta diſsipabas,*
*Nec caſtra præſens noſtra ſublevabas.*
*O fer opem miſeris: hominum quia dextra nil ſalutis*
*Habet, tuis quo præſtet eſſe tutis.*

*Te duce certa manet nos laurea. Te ſimul videbunt*
*Hoſtes ſuperbi, proruti jacebunt.*

PSAL. LXI. Exaudi Deus depreca: &c.

Dat Deus regnum, pietas preceſq;
Fulciunt, virtus ſtabilit fideſq;.

*DVm pugnas celerat vis mihi ferrea.*
*Audi vota Deus, ſed facilis, meos*
*Maſtos adſpice fletus.*
*Diſpellens pavidos metus.*
*Febris vociferor cordis ab intimis,*
*O raptum latebris orbis ab ultimis,*
*Firma rupe locato,*
*Et tutam requiem dato.*
*O rebus dubiis ſpes mea ſis, Deus,*
*Qui portus (memini) ſemper eras meus,*
*Hoſtis, te duce fretus,*
*Stabam firmus ad impetus,*
*Templi parte bonus me tegito tui.*
*Et tuta facito pace queam frui*
*Septus numinis alis,*
*Vt nullis quatiar malis.*
*Iam percepta tibi vota Deus mea,*
*Iam ſunt ſceptra mihi reddita ferrea.*
*Nec non iura ſevera,*
*Ad quæ gens tremat effera.*
*Et, ceu tanta parum ſit bona ſumere,*
*Longos orbe dies das mihi cernere*
*Et decurrere vita*
*Lato tempora tramite.*

*His regnum mediis ſi ſtabilis meum,*
*Si Regi mihi te das facilem Deum,*
*Si res regis avitas*
*Cum vero tegit æquitas.*
*Te ductore malis liber ab omnibus,*
*Reddam vota tibi debita laudibus,*
*Et grates ſine fine*
*Solvam perpete carmine.*

## *PSAL. LXII. Nonne Deo ſubjecta, &c.*

Hîc Sycophantas aulicos David premit
Deoq́; tutus, gaudio lætus fremit.

*Nihil tremiſco, dexterâ fretus Dei,*
*Dei ſalutaris mei.*
*Hac arce tutum nullus horror territat,*
*Nec pes vacillans ceſpitat.*
*Ergo quousq; vos movetis arietem*
*In me labantem parietem?*
*Quousq; clàm me perfidè traducitis,*
*Quem laude coràm tollitis?*
*Sed nil tremiſco dexterâ fretus Dei,*
*Dei ſalutaris mei.*
*Hæc ſumma mentis eſt mea fiducia,*
*Arx, fortitudo, gloria.*
*Spes illa noſtra, ſpes ſit & lux omnium,*
*Quas terra nutrit, gentium.*
*Nam fumus eſt mortalium potentia,*
*Et quantacunq; gloria,*
*Quos cum bonis pravè paratis, temnito,*
*Nec dives auro credito.*

*Semel Iehoua dixit, & bis audii;*
*Quòd nil Deo ſit inuii.*
*Et quòd bonis ſit æquus, ac placabilis*
*Malisq; formidabilis.*

## *PSAL. LXIII. Deus Deus meus, ad te, &c.*

Flet David, exul à piæ gentis focis,
Deum q; cantat interim ſolis locis.

*LVce quem primâ vigilo, precorque,*
*Tandem reduc me, mi Deus,*
*Te ſitit, te mens petit ægra, corque,*
*Dum iactor exul buſteus.*
*Aridas calco vagus en arenas,*
*Æſtuq; toſtus areo.*
*Quando te ſcenasque tuas amœnas,*
*Cernens viciſſim gaudeo?*
*Nam mihi vitâ tua te videnti*
*Eſt carior benignitas,*
*Perpetim pro quâ tibi me fouenti*
*Conflabo laudes debitas.*
*Hic pro cantu tua perſonabo*
*Voti reus præconia,*
*Hîc redux ad te facilem leuabo*
*Sub aſtra pura brachia.*
*Non magis corpus recreat ciborum*
*Prædiues affluentia,*
*Quàm meam mentem releuat piorum*
*Dulcis modorum gratia;*
*Qui licet deſint mihi nunc agenti*
*In horridis mapalibus,*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0132-6

*Es mea carmen tamen uſq; menti*
*Oriq́ue cunctis lucibus.*
*Nam tuis ſemper facilis ſub alis*
*Mihi dediſti vincere,*
*Cum daret damnum mihi noxialis*
*Procella ſortis aſpera.*
*Te colit ſemper mea mens amatq́ue,*
*Te nocte totâ ſomniat.*
*Quippe, quæ ſit te duce ſoſpes, atq;*
*Nullam procellam ſentiat.*
*Irritos ergo ſubeant labores*
*Qui me laborant perdere,*
*Auferent riſus precium dolores*
*In igne ſedis infera.*
*Sanguinem reddent trepidum cadentes*
*Suis feroces enſibus,*
*Tunc ſolum plangent, & humi iacentes*
*Cibus dabuntur vulpibus,*
*At pii cum rege ſuo fovebunt*
*Feſtiva læti gaudia.*
*Obſtrui linguas ſimul ac videbunt*
*Ructantium mendacia.*

## *PSAL. LXIV. Exaudi Deus oratio-nem, &c.*

His te prementem, qui premes calu-
mniam,
Linguæ domabis ipſe viru lentiam.

HAuri Iova preces aure favens tuâ
Nam cura nimium torqueor arduâ:
Et multum pavido ſollicitor metu
Martis territus impetu.
Conſpirant acies in caput hoc truces
Nactæ peſtiferos nequitia duces:
Ah tandem duplici me bonus à grege
Dextrâ vindice protege.
Linguas exacuunt quisq; ſuas, ea
Sunt illis gladii, ſpicula, lancea
Voci virus ineſt, verbaq; dulce mel
Promunt, pectora triſte fel.
Iſthec arma gerunt ut capiant pios,
Hinc ſaltus ineunt, quâ via, devios;
Nec quenquam ſcelerum gens mala vindicem
Nec credit, fore iudicem.
Deſignant animis facta nefaria,
Tendentesq; pio clam fera retia.
Sic ſecum; videt hæc nemo; latent doli
Autorem rutili poli.
His dictis, alacres mille dolos ſuunt.
A turpiq; cruces conſilio ruunt:
Hic illis labor eſt, hæc meditatio,
Vt ponant laqueos pio.
At tales jaculis Numinis occident,
In caſſesq; ſuos ilicet incident,
Acceptoq; gravi vulnere turpiter
Flebunt in Styge jugiter.
Hæc ſpectans aliquis, dicet; ut impia
Ingens ipſa ſibi, pœna calumnia!

Et motus ſubito funere talium,
Poſthac carpet iter pium.
Tunc omnes hominum, quotquot erunt, chori
Mirantes superis judicium fori,
Divina referent juſticiæ vias,
Quæ turbas premat impias.
At gens juſta fovens pectore gaudia
Et cor læta ſuum ſpe recreans piâ,
Illic Elogium juſticiæ feret,
Quod nullus furor auferet.

## PSAL. LXV. Te decet hymnus Deus, &c.

Cum terreis Cœleſtia,
Dei dat alma gratia.

AVla cui celſa iuga ſunt Sionis
Tibi ſit uni gloria.
Hîc ubi votis tibi læta donis,
Auguſta fumant atria,
Hic preces noſtras bonus, hîc vocatus
Hauris apertis auribus.
Hîc vacas cunctis populis rogatus,
Rogantiumq; vocibus.
Læſus es (verum nec enim negamus)
Noſtris ſubinde lapſibus,
Sed tuâ dones veniâ rogamus,
Ab his levatos ſordibus.
O quater felix! tua qui vocatus
Per te, ſubintrat atria,
Hîc ubi rerum fruitur beatus
Vndante rivis copiâ.

*Inde das aurem miſeris querelis*
*Votisq́ue ſupplicantium,*
*Dux aberrantum bonus, & fidelis,*
*Spes ultimorum finium.*
*Tu tuo nutu ſtabiles creaſti*
*Montes, tremendus arbiter.*
*Hinc, ubi factis loca deſtinaſti,*
*Stabunt, ut antè jugiter.*
*Ad tuos nutus maris æſtuantis*
*Repentè ſubſidunt minæ;*
*Te tremunt motus populi minantis*
*Turbante miro turbine.*
*Hinc trement omnes malèferiati*
*Tuam timentes dexteram:*
*At pii munus peragent beati*
*Tàm manè, quàm ſub veſperâ.*
*Tu ſolum Solis radiis aduſtum*
*Rigas cupitis imbribus;*
*Hinc bonus lætis hilaras onuſtum*
*Ruris colonum frugibus.*
*Arva fæcundas pluviis aquoſis*
*Inebriata largius,*
*Vnde frumentis ſola copioſis*
*Mollita florent lætius.*
*Annus hinc, pulcris veluti coronis,*
*Rerum renidet copiâ:*
*Sic tua paſſim, Deus alme, ponis*
*Clementiæ veſtigia.*
*Hac tuâ dives ſatis æquitate*
*Pauper colonus geſtiet,*

*Et, locis ſolis habitans beatè.*
*Deſerta fata ſentiet.*
*Prata tondebunt pecudes nitentes*
*Et teſqua montis invia:*
*Hinc aratores ſalient canentes:*
*Rerum parenti gloriâ.*

## *PSAL. LXVI. Jubilate Deo, &c.*

Cuncto conatur ore cunctorum Deus;
Pro ſe quod autor ſpondet, ut voti reus.

*JVbilis ſolum reſulta,*
*Et polos ſonore pulta,*
*Férque Iovam laudibus*
*Fidelibus.*
*Dicat orbis, ut probanda*
*Iova praſtat! ut notanda!*
*Num mali negant? tacent*
*Victi jacent.*
*Te Deus tellus adoret,*
*Te piis hymnis honoret,*
*Atq; concinat piè:*
*Rex gloriæ.*
*Facta providi parentis*
*Quisq; cerne luce mentis,*
*V upendus omnibus*
*Sit actibus!*
*Fecit aridam, quòd undas*
*Æquor urgebat profundas,*
*Lata duxit agmina*
*Per flumina.*

*Eſt egenti cuiq; præſtò.*
*Vtq; mitis eſt modeſto:*
*Sic rebellem deprimit*
*Et opprimit.*
*Laus ſit optimo Parenti:*
*Hæc ſit omni cura menti,*
*Ferre Iovam laudibus*
*Perennibus.*
*Ille iam ferè necatos*
*Nos tuetur, & renatos*
*Vſq; fulcit firmiter.*
*Benigniter.*
*Igne nos examinaſti,*
*Ac, ut argentum, probaſti.*
*Digne perpetim cole*
*Rector poli.*
*Caſſibus nos implicatos,*
*Et Tyrannis mancipatos.*
*Tot ſubire iuſſeras*
*Res aſperas.*
*Per feros ignes, & undas*
*Res petebamus ſecundas,*
*Atq; fines fertiles,*
*Amabiles.*
*Ergo templis hæc ſonabo,*
*Et piis votis litabo*
*Liberatori meo,*
*Vero Deo.*
*Quicquid os meum vovebat,*
*Sors gravis cum me premebat,*
*Omne reddam pinguibus*
*Altaribus.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0138-1

Laniger cædetur agnus
Pinguis hircus, bosq; magnus,
Thusq; ſuccenſum ſolo
Ibit polo.
Huc adeſte, ſed faventes,
Dum per omnes canto gentes,
Vindicis dextram Dei
Ducis mei.
Vix meos fudi precatus,
Cum tuâ ſum liberatus
Dexterâ, rerum ſator,
Lucis dator.
Corde ſi ferrem reatus,
Non mihi Deus rogatus
Adfuiſſet auribus
Patentibus.
At ſcelus quòd me fateri,
Et bonum, vidit, tueri,
Audiit me regiâ
De propriâ.
Laus Deo, quem cum vocavi
Voce, quidvis impetravi,
Quòd miſertus eſt mei,
Sit laus ei.

PSAL. LXVII. Deus miſereatur noſtri, &c.

Clemens favensq; ſit poli rex omnibus,
Laus ejus ut ſit nota cunctis gentibus.

QVi tuo mœſtos relevas amore,
Nos tua flamma refove calore;
Et tua triſtes animos amanâ
Luce ſerena.
Vt tua norint iter æquitatis,
(Qua beas cunctos cumulasq; gratis)
Et canant cunctæ ſub utroq; gentes
Sole jacentes;
Vtque, te patrem facilem notando,
Seq; devotè tibi mancipando.
Ad polos tollant tua ritè cunctis
Nomina punctis.
Quisque ſuſſultet fremitu ſecundo
Per tuas laudes celebres eundo,
Det tua cunctis via veritatis
Eſſe beatis.
Vt tua norint iter æquitatis
(Quâ beas cunctos cumulasquê gratis)
Et canant cunctæ ſub utroq; gentes
Sole iacentes.
Si tuis te das facilem patronum,
Si beat tellus avidum colonum,
Laude te tollent ſub utroq; gentes
Sole jacentes.

## PSAL. LXVIII. Exurgat Deus, &c.

Transfertur arca, grex ovat fidelium:
Tu pro triumpho pange niceterium.

SVrge Deus, trepident, & dent tibi verſa terga gentes,
Odêre quæ te prælijs furentes.

*Vt fumus perit, ut ſolis face cera colliqueſcit:*
*Sic nil ſit, actis qui malis caleſcit.*
*Tunc pia plebs, carpens nova gaudia, dulce læta*
*plaudet*
*Deumq́; (dicet) cuncta lingua laudet.*
*Illum nempè Deum, qui molliter hinc inivit aſtra,*
*Cum fudit hoſtis inquieta caſtra,*
*Qui viduas æquus judex fovet, aſſerit, tuetur,*
*Et prolis orba ſe patrem fatetur.*
*Qui ſteriles thalamos natis beat, eruensq́; vinctos*
*Multat rebelles, & cruore tinctos.*
*Tu Deus Iſacidis, cum per loca ſola dux praires*
*In bella firmas dans gerenda vires.*
*Ad vultus commota tuos ibi terra mugiebat,*
*Stillabat æther, Sina mons tremebat.*
*Tu pluviis recreas lætis ſola, quâ tui popelli*
*Rident amœnum fertiles agelli.*
*Hinc, quod adest, præbent, cultoribus; huc gre-*
*gis boumq́;*
*Receptus aſprâ ſorte civiumque.*
*Hic, procul à Martis ſtrepitis, tibi gratias tenel-*
*la*
*Solvent, triumphum dum canent, puella*
*En abiit (dicent) manus hoſtica, fortibusque vi-*
*ctis*
*Prædis fruuntur debiles relictis.*
*Grex ſacer, antè nigrans fuligine, iam latere ne-*
*ſcis*
*Dum plus columba candida niteſcis.*

*Albicat ut Salmon ſparſus nive: ſic, ubi jacebat*
*Hoſtis repreſſus, mens Sion nitebat,*
*Sint aliis alii montes; vel ad aſtra porrigatur*
*Quo monte Baſan uſq; gloriatur:*
*Sorte Sion melior: Deus hanc ſibi legit, hanc tuetur,*
*Hac ſede victor perpetim fruetur,*
*Hanc colit, ut Sina coluit juga, curribus ſuorum*
*Hinc inde latè cinctus Angelorum.*
*Quantus ſcandendo, quantus fuit hoſtibus minando!*
*Qualisq; nobis rapta cuncta dando!*
*Huic igitur Domino ſit gratia, qui levat gravatos,*
*Spes noſtra ſola, ſuſcitans necatos.*
*Vna Salus Deus eſt mortalibus: hic ſub antra ducit*
*Inferna ſolus, ſolus & reducit.*
*Ille ſuos hoſtes perdet malè quamlibet potentes,*
*Viisq; plenus in ſcelus ruentes:*
*At Clemens faciliſq; piis pater, ex aquis profundis*
*Velis, ait, vos eruam ſecundis.*
*Hoſtili veſtrum ſibi ſanguine quisque crura tinget,*
*Canumq; caſos vis odora linget.*
*Templa colens cæli Deus ardua qualis introibas!*
*Quali triumpho geſtiens ſubibas!*
*Anteiit chorus, at medium fuit agmen è puellis*
*Cantare doctis, aureis, tenellis.*

Harum

Harum vox fuit ô clari genus Iſraëlis, ite
Rerum parentem prædicate ritè.
Benjaminus, Iudas, Zabulo quoque Nephtaliſq;
fortes
Quas procrearunt, hîc erant cohortes.
Vt bene cœpiſti, ſic pergito, nos Deus fovendo,
Et, quæ dediſti, jugiter tuendo.
Sic reges tibi dona ferant, tua templa viſitantes
Tibiq; grates debitas ſonantes.
Dives agris, dives nummis, tibi, gens diu rebellis,
Se ſternat aſpris jam repreſſa bellis.
Quiq; bibit Nilum populus ruat ad Deum potentem,
Maurumq; ſecum ducat huc frequentem.
Omnia regna Deo date carmina, cum manu piorum,
Nam laude dignus eſt dator bonorum.
Cui cœlum ſedes eſt regia, cuncta cui reguntur,
Et, quò vocat vox illius, feruntur.
Has Domini vires cognoſcite; cognitas notate,
Et celſiores nube prædicate.
Dicite: quàm mirus Deus eſt! ſua templa quàm
tuetur!
Suos ut armat! Ergo prædicetur.

*PSAL. LXIX. Salvum me fac Domi: &c.*

Hîc fata dura deprecatur,
Hoſtiq; pœnas imprecatur.

*ADes, Deus mi, meq; feſſum ſuſtîne;*
*Viden' malorum mergar ut voragine!*
*Limo profundo fixus hæret pes meus,*
*En obruit me penè vortex ſpumeus!*
*Clamore rauci victa languent lumina,*
*Sperantis à te cœlitus juvamina.*
*Plures capillis me meis hoſtes premunt,*
*Et, rapta ceu ſint, parta non reddi fremunt.*
*Quæ jure noſti, nota vita cui mea,*
*Et hoſtium fraus, menſq; ſemper fellea.*
*Ne ſim pudori, da Deus, ſanctis tuis,*
*Qui te requirunt in malis patrem ſuis.*
*Te propter iſtis enecor convitiis,*
*Te propter unum mille vexor jurgiis.*
*Sors dura! fratres noſſe me nolunt mei,*
*In prole matris nil mihi meæ ſpei.*
*Hæc perfero, quòd lætor atriis tuis,*
*Quæ gens prophanat vana ſomniis ſuis.*
*Ob quod domi ſi maceror jejuniis;*
*Hoſtes ſuis me differunt convitiis.*
*Si veſte pullâ ſqualidus feras eo,*
*Stultum ſalutant me malo læti meo.*
*In me dicax eſt judicantum curia,*
*In me taberna mira cantat ebria.*
*Pater benigne cœlitum, tu patriâ*
*Hinc inde preſſo, ſubveni clementiâ.*

Ab æmulisq́ꝫ vindica me fortibus,
Maris profundi liberatum fluctibus.
Meamq́ue vitam pone tuto tramite
Ne ſorbeatur vorticoſo gurgite.
Audi vocantem me, Pater mitiſsime,
Et quàm bonus ſis in tuos, nunc exprime.
Huc flecte vultus, damna cernas ut mea,
Moraq́ꝫ pulſa me gravatum recrea.
Iam jam propinquus ſubleva vitam meam,
Et hoſtium vim frange vindex ferream.
Vides ut in me fundiſent diverbia!
Vt probra jactent! ut crepent convitia!
At interim dolore quis doles meo?
Quis reſpicit me, fine demtus dum fleo?
Quin ne quid his deſit malis, hoſtes mei
Miſcent aceto, quæ mihi dant, ferrei,
O talione, ſi quæ guſtant mellea
Sint his acerba, ſint amara, fellea.
Caligo noctis obtenebret lumina,
Lumbis vacillent ſæva paſsi termina.
Preſsiq́ꝫ multis ſortis atræ luctibus
Tui furoris obruantur fluctibus,
Quæ nunc ſuperbè tecta jactant ſplendida,
Turresq́ꝫ, poſthac ſint eremus horrida.
Nam, quos premis tu, fortius ſævi premunt
Horumq́ꝫ læti ſorte, gaudio fremunt.
O crimen addant crimini, ne dulcia
His æquitatis deſtinentur præmia.
Viventiumq́ꝫ ſempiterno codice,
Vt deleantur (nam merentur) effice.

*At pauperem me ſuſtine dextrâ tuâ,*
*Tutusq́; præſta ſede ponar arduâ.*
*Hic laude multâ nomen efferam tuum,*
*Numenq́; cui nil hoc ſolum fert arduum.*
*Ibi placebo victimis plus talibus*
*Quàm mille tauris, aut juvencis pinguibus.*
*Quod grex piorum cùm videbit geſtiet,*
*Novaq́; vita, præmium quod ſit, ſciet.*
*Nam pauperem rex ille cœtum reſpicit,*
*Nec ora vinclis compediti deſpicit.*
*Hunc ergò terra, pontus, æther concinent,*
*Et quicquid æther, terra, pontus continent,*
*Vt qui Sionis ſalva ſervet atria,*
*Paſſimq́; Iudæ tuta præſtet mœnia.*
*Quæ grex piorum linquat abnepotibus,*
*Fidis parentis cælitis cultoribus.*

## *PSAL. LXX. Deus in adjutorium, &c.*

Pios periclis optat omnes erui,
Pudore contrà verſipelles obrui.

*OPem tuam petenti*
*Ne denega clienti*
*Contra manũ malorum,*
*O Iova rex polorum.*
*Da victus erubeſcat*
*Et terga dans ſileſcat*
*Mea vita, mihiq́;*
*Malum ſtruens ubiq;.*
*Qui clamat, euge rectè,*
*Me deprimendo tectè,*

Rubore

*Rubore da tegatur,*
*Fugamq́ moliatur.*
*At gaudeant beati*
*Te prædicare nati,*
*Veris bonis fruantur*
*Qui te patrem precantur.*
*In his mihi creator*
*Adeſto liberator,*
*Ne diſsipentur illa*
*Opes mea puſilla*

## *PSAL. LXXI. In te Domine ſperavi, &c.*

Spe pius vincit querulos dolores,
Dum furit vanos fera vis furores.

*IN te, Iova pater, ſpem poſui meam,*
*Te turrim dubiis rebus aheneam,*
*Nullo non ſtatuit tempore mens mea.*
*Hoſtis fac ſuperem tela Typhœa.*
*Aures da vacuas queſtubus ô meis,*
*Ad te, temporibus quos fero terreis.*
*Vindex iuſtitiâ protege me tuâ*
*Hoſtis fraude ferox dum premitur ſua.*
*Hunc contra mihi ſis arx aditu carens,*
*Rupes alta, potens dux, facilis parens.*
*Nam ſolus mihi tu perpetuò Deus*
*Solus confugium, ſolus honos meus.*
*Scutum Iova, meum, me celer aſſere*
*Et fata ſcelerum ſubtrahe dextera.*
*Hoſtis ſæva mihi ne violentia*
*Inſano moveat robore prælia.*

*Te ſolum vigilo, ſomnio, cogito,*
*Te ſolum maneo, te voco, cantito,*
*Tu dux, luxq́ue mea ſplendida gloria,*
*Es noſtra tenero flore pueritia.*
*Tu ſpes fida mihi matris ab ubere,*
*Idem me, ſenio cum gravor, aſſere,*
*Vt te perpetuis laudibus efferam,*
*Æternisq́ue cedro verſibus inſeram.*
*Portenti ſimilis rideor hoſtibus,*
*Probris materies ſum petulantibus,*
*At tu præſidiis me facilis tuis,*
*Firmum ſtare jubes rebus in arduis,*
*Pro quo munifica pignore dexteræ*
*Te mactabo pio, rex bone, munere,*
*Cum te perpetuis cantibus efferam*
*Et vatum numeris, quæ facis, inſeram.*
*Tantum decrepiti ſis memor ô mei*
*Et noſtra maneas arx valida ſpei,*
*Cum vires tacitè deficient meæ*
*Ætatis miſero tempore ferreæ.*
*Adſis ſancte parens, atq; dolos vide*
*Quos fax mente parat livida perfidè,*
*Ad diras properè cum fabricas ruit,*
*Et noſtro capiti triſte malum ſuit.*
*Non eſt, inquit, opem qui pavido ferat,*
*Obſeſſumq́ue ſuis viribus aſſerat,*
*Deſertum celeres prendite, dum licet,*
*Non eſt, cujus eum dextera vindicet.*
*Vt fallantur ades, mi pater, & Deus,*
*Ne me linque, meus murus ahenem,*

Feſti-

*Feſtinans validam vim celer exere*
*Et, quem ſæva manus mancipat, aſſere.*
*Qui me cunq; petunt perfidiis ſuis,*
*Confuſi iaceant conſiliis tuis,*
*Fructus concilii ſit pudor illius,*
*Me contra malè grex quo coit impius.*
*Tunc liber dubiæ ſortis ab impete*
*Te, rex magne, canam carmine perpete,*
*Et gentes referam laude per exteras,*
*Promiſſam quòd opem mitibus afferas.*
*Cantabit mea vox juſticiam tuam,*
*Dum Phœbea facem lux quatiet ſuam,*
*Et, quorum numerum neſcio, munera*
*Vulgabo, tua quæ dat mihi dextera.*
*Contra mille mali tela ſequentia*
*Nitar, magne, tuâ, Iova potentiâ*
*Acceptamq; tibi juſticiam feram,*
*Quâ ſervor, Styga ne trudar ad inferam.*
*Tu me mox teneræ flore pueritiæ,*
*Laudes ſcire tuæ dicere gratiæ*
*Feciſti, neq; nunc vox mea deſinit,*
*Sed, quæ mira facis plurima, concinit.*
*Cantabitq; dehinc, tu modo ſubveni*
*Cygneo, tremulo, decrepito, ſeni*
*Vt poſſim meritis cantibus, omnibus*
*Robur Iova tuum prodere gentibus.*
*Quanta, Rex ſuperum, juſticia tua!*
*Quàm ſunt præ pluviis nubibus ardua!*
*Quàm nec Cymmeriâ nocte queunt tegi,*
*Quæ tu facta tuo mira facis gregi.*
*Quis, ſupreme parens, eſt ſimilis tui?*

Iam merſus rapidis gurgitibus fui,
Cum converſus ades, meq́ꝫ levas bonus
Ne me tartareis mergat aquis onus.
Tu ſolus ſolitâ munificentiâ
Amiſſâ mihi das fulgere gloriâ,
Per gratam ſolidæ materiam ſpei,
Conſolans animi triſticiam mei,
Tantum, tamq́ꝫ potens munus ô arbiter,
Cantabo cytharis & fide iugiter,
Vt cunctis facilis ſit tua veritas,
Et, quâ ſanctificas nos tibi, ſanctitas.
Dulci tum ſaliet cor mihi gaudio,
Cum cantabo tibi cantica feriò,
Tum duris mea mens functa periculis
Lætis læta dabit carmina chordulis.
Vt mens quotidiè te meditabitur,
Sic juſtum facilis lingua fatebitur,
Poſtquam, me capiens fraude ſuâ, ruet,
Oſoresq́ꝫ meos cum pudor obruet.

## PSAL. LXXII. Deus judicium tuum, &c.

Hîc cuncta Regi fauſta, nec non regio,
Pſalmus precatur filio.

REx & rege ſatus tua
Da, det jura, Deus, gentibus ardua
Quò cunctos bene judicet,
Et legum tenues fulmine vindicet.
Sit pax candida montibus,
Æqui cura ferat commoda vallibus,
Pauper grex agat ocia

*Aſſertus, pereat dira calumnia.*
*Mundi lumina dum nitent,*
*Regis cuncta metu pectora palpitent,*
*Æquum recreet atria.*
*Vt vos manè cadens arva rigentia,*
*Cum Lunâ micet æquitas,*
*Pax omnes ineat libera ſemitas.*
*Nam rex incutiet metum*
*Regnis, quâ tumidum porrigitur fretum.*
*Dives cum grege paupere*
*Fœdati venient corpora pulvere;*
*Regi munera debita*
*Dives mittet Arabs, cui freta ſubdita,*
*Hunc rex quilibet audiet,*
*Huic gens cuncta, tremens poplite, ſerviet*
*Hic vindex bonus omnium*
*Cauſam ſuſcipiet vim patientium.*
*Et motus querulâ prece*
*Præſenti tenues aſſeret à nece.*
*Hoſtis fraudis, & omnium*
*Vindex, peſtiferâ fraude cadentium.*
*Ergo vivat, ab omnibus*
*Illum miſſa beent munera finibus.*
*Rerum ſit bona copia,*
*Pax lætis repleat frugibus atria.*
*Donec Sol erit, omnibus*
*Hæc Regis pateant nomina gentibus.*
*Soli, dicite, gloria.*
*Solus mira ſolo qui facit omnia:*
*Ejus nomen in omnibus.*
*Præcones faciant nobile finibus.*

*PSAL. LXXIII. Quam bonus Iſraël, &c.*

Hîc licet pii graventur,
Impii contrà prementur.
At niteſcunt in polo,
Qui niteſcunt in ſolo.

*QVamvis bonus ſit Iova puris mentibus,*
*In Iſraëlis cætibus;*
*Meus tamen pes ceſſit illic de viâ,*
*In teſqua tractus avia.*
*Nam macerabar, mille fædos ſordibus.*
*Gaudere fatis mollibus,*
*Proculq; morbis, ſplendidis in atriis*
*Amplis frui palatiis,*
*Sentire nullas ſortis humanæ vices,*
*Nulli venire ſupplices.*
*Ad hæc videbam, quàm graves ſuperbiâ*
*Eſſent & impotentiâ!*
*Nam ſorte tali cum fruuntur divites,*
*Hæreditatum gurgites,*
*Fiunt Thraſones, in popellum triſtibus*
*Degrandinantes vocibus.*
*Et, ce parum ſit, quòd minis terrent ſolum,*
*Auſu feruntur in polum.*
*Hæc cum vident, & invident cætus pii,*
*Sic ſæpè ſecum devii:*
*Hæc rector orbis cernit, & ſcit ſcilicet,*
*En a libet, malis licet:*
*n omnis iſtis eſt bonorum copia,*
*Et tuta pacis ocia,*

*Quid*

Quid ergò rectum vanus uſq; cor gero?
Manusq́; puras offero?
A luce primâ cur mihi totos dies
Sors damna concit inquies?
Rurſum verebar, ne loquendo talia
Decreta damnarem pia,
Neu tam profundo cogitatu mergerer,
Hac ſi volutans angerer.
Sed in Dei ſum doctus ade calitus,
Quis impii ſit exitus,
In lubrico ſtat, ſtare dumq́; ſe fremit,
Repentè dejectus gemit.
Vaneſcit ejus, ut vapor, potentia
Et invidenda copia.
Vis illa cunctos territans fit ſomnium,
Riſusq́; formidantium.
Hac neſcientis livor uſſit acribus
Cor, atq; mentem luctibus.
Nam, more bruti, fixus in cura ſoli,
Arcana neſcivi poli.
Sed tu reduxti me miſertus in viam,
Qui vim coërces impiam.
Sic perge gratâ me fovere gratiâ,
Latâ micantem gloriâ.
Te prater unum, quem velim, non eſt polo,
Quo gaudeam, non eſt ſolo.
Tu petra carnis es mea, ne langueat,
Neu fracta fatis marceat,
Te qui relinquunt, derelicti triſtibus
Brevi peribunt cladibus.

*At me clientem vindicabis arbiter,*
*Vt te celeb[r]em jugiter.*

*PSA. LXXIV. Vt quid Deus expuli: &c.*
Furunt Tyranni, templa vaſtant cum ſcholis,
Pii precantur talibus tacti bolis.

*CVr nos relinquis ô Deus? cur, dum fremis,*
*Tuos per hoſtes nos tuum cœtum premis?*
*Memor gregis ſis, quem tibi delegeras,*
*Peculiumq́ proprium receperas.*
*Accurre, dele caſtra vindex funditus,*
*Tuam domum quæ ſubruunt radicitus.*
*Tuis dicata tecta fruſtra laudibus,*
*Signis referta iam vides hoſtilibus.*
*Structura templi ſic tui convellitur,*
*Vt cum bipenni ſylva vaſta caditur.*
*Calata tecta rumpit hoſtis vectibus*
*Rem malleis hinc, hinc gerens ſecuribus.*
*Ah tecta flammâ iam cremantur impiâ,*
*Contaminata iam ruunt ſacraria.*
*Quod eſt minata turba, fecit, impia,*
*Hoſtilis ignis cum voravit omnia.*
*Signis caremus, & Prophetis, neſcit*
*Quæ meta fati ſit futura pervii.*
*Quousq́ ludet te Deum vis impia,*
*Acerba nunquam conſileſcent jurgia?*
*Cur dextra ceſſat, quâ premas hoſtes tuos?*
*Servesq́, greſſus qui tibi movent ſuos?*
*Tu noſter es rex, ut fuiſti primitus,*
*Tu fons ſalutis aſſerens nos cælitus.*

*Tu, cum juberes, unda reſtitit cita*
*Qua fex, Draconum more ſæva, perdita.*
*Nec non marinis vaſtior rex belluis*
*Feras, aveſq; pavit oſſibus ſuis:*
*De cote durâ lympha fluxit limpida,*
*Amneſq; de ſe terra fudit arida.*
*Tuus dies eſt, noxq;, dexterâ tuâ*
*Sol eſt creatus atq; luna cornua.*
*Tu menſor orbis, cui verendus imperas,*
*Æſtúmque brumâ, frigus æſtu temperas.*
*O intuere probra nos lædentium,*
*Tuúmque nomen ſcommatis ludentium.*
*Ne des columbæ beſtiis vitam tuæ,*
*Oblivione neu miſellos obrue.*
*Memor tui ſis, ut fuiſti, fœderis,*
*Dum cuncta paſſim fraudibus ſcatent meris.*
*In his relictos vindicato caſibus,*
*Vt te ſub aſtra mille tollant laudibus.*
*Exurge cauſam judica tuam, Deus,*
*Memor, quid in te fecerit grex felleus.*
*Vides, tumultus indies ut hoſtium*
*Magis magisque gliſcat inſurgentium!*

## *PSA. LXXV. Confitebimur tibi Deus, &c.*

Tuam quid amens jactitas potentiam?
Deus canatur aſſerens Eccleſiam.

*TE nos Camænis rex bone patriis*
*Dicemus, & quo ſis propior piis*

Magis magisq́; te canemus,
Miraq́; quæ facis, efferemus:
Cum plena pandent ſe mihi ſecula,
Rex, juris, inquit, firma repagula
Pandens ſeverè judicabo,
Truxq́; malis humiles levabo.
Succuſſa tellus diſsiliat licet,
Et palpitando ſollicitè micet,
Caſumq́; ſupremum minetur,
Iam validè mihi fulcietur.
Dicam Thraſoni; mitte ſuperbiam,
Vanoq́; quam flas pectore gloriam:
At impios ſi quos videbo
Nequitiam fugiant, monebo.
Iam veſtra, dicam, cornua ponite,
Nec mite numen voce laceſsite,
Roburq́; ne jactate tantum:
Colla premit Deus arrogantum.
Gentes ab ortu Solis & Heſpero
Auſtroq́;, ſurgant, & Borea fero
Afflare quid poſſunt honorum?
Cui cumulos aliquos bonorum?
Solus Deus rex unicus omnium,
Superba frangens colla potentium,
Huic ſede dat ſedere primâ,
Aſt altum locat ultor imâ.
Plenam Lyæo jam pateram rapit.
Heu triſtis undas illa crucis ſapit!
Hinc haurient feces maligni,
Hi pateris Cyathiſq́; digni.

*At me juvabit pandere patriam*
*Summi parentis munificentiam,*
*Cornuq́; diſjectas malorum*
*Cogere relliquias piorum.*

## *PSAL. LXXVI. Notus in Judæa, &c.*

Deus tumultum ſolus aufert hoſticum.
Huic ergo pange victor Euchariſticum.

*JVdæa verum ſcit Deum,*
*Gens Iſraëlis hîc eum*
*Effert ſub aſtra laudibus,*
*Lyraq́; feſtis plauſibus.*
*Sion Salemq́; fertiles*
*Sedes Dei ſunt nobiles,*
*Hîc fumat illi ſuavibus.*
*Perenne templum floribus.*
*Hîc ille fregit ſpicula,*
*Hic arcta ſolvit vincula.*
*Hîc ſcuta victor abſtulit,*
*Minasq́; belli ſuſtulit.*
*Ad hunc quid eſt in vallibus*
*Aſprisq́; prædo montibus?*
*Quid Ammonitæ? quid Syri?*
*Nilumq́; potantes viri?*
*Prædæ potentes ſunt dati,*
*Nec ſubſtitêre tunc cati,*
*Somnus gravavit corpora,*
*Obter puêre robora.*
*Ab increpationibus*
*Tonantis æſtuantibus,*

*Elanguerunt omnium*
*Currus, manuſq́ gentium,*
*Vt es tremendus ô Deus!*
*Quis tam ſibi fidit reus,*
*Vt, quando læſus æſtuas,*
*Conſiſtat iras ad tuas?*
*Tu cum tonitru territas,*
*Voceſq́ cælo funditas,*
*Succuſſa tellus ingemit*
*Silenſq́ vim ſuam premit.*
*Nam cernit, ut nos vindices*
*Tuos clientes ſupplices,*
*Afflictiones temperans*
*Et compeditos liberans.*
*Id quod furores hoſtium*
*Probant ubivis gentium*
*Suis monentes caſibus*
*Quàm ſis ſtupendus viribus!*
*Idem piorum grex piis*
*Piè fatere nablus,*
*Et vota redde vindici*
*Tuo tremendo judici.*
*Qui colla principum premit,*
*Hunc quisquis adverſum fremit,*
*Iam jam ſuperbos ſpiritus*
*Ponet repreſſus cælitus.*

## *PSAL. LXXVII. Voce mea ad Dominum, &c.*

Rebus anguſtis Deus invocetur,
Qui pios mirè fovet ac tuetur,

Cum

CVm me ſors quateret fera,
Pulſavi validis vocibus æthera,
Noctes atq; dies gemens
Solamenq; mali triſticiâ premens:
Et quanquam memini Dei,
Turbabar tamen hac mole mali mei.
Somnus lumina liquerat,
Vox feſſi mediis faucibus hæſerat.
Sed menti rediit quies,
Ad priſcos animum cum retuli dies,
Quando liber ab omnibus,
Lætus læta dabam carmina, luctibus.
Cur, dixi, cor habet pavor?
Demto fine Dei non aberit favor.
Nec quiſquam facit irritum
Promiſſum Domini cælitis editum.
Nec clementia patria
Eſt oblita Deo, miraq; gratia.
Tunc dixi: procul i tremor,
Pellet cuncta Dei dextra, quibus premor.
Eius mira memor pio,
Conſervabo mei cordis in atrio.
Seris illa nepotibus,
Pandens mellifluis omnia cantibus.
Rex cæli, columen meum,
Rerum ſumma parem quem tibi fert Deum?
Tu mirandus in omnibus,
Præclarisq; potens ſolus in actibus.
Tu turmis Abraha piis
Miris præbueras effugium viis.
Vidit pontus, & horruit

*Turbatum pelagus vis tua terruit;*
*Nubes atra ſonoribus,*
*Et miris fremuit grandinis ictibus*
*Æther mille fragoribus.*
*Terrens cuncta citus horruit ignibus.*
*Tellus territa mugiit,*
*Cum ſiccata tuus per vada pes iit.*
*Hîc Moſes & Aron duo*
*Paſtores, populo præfuerant tuo.*

## *PSAL. LXXVIII. Attendite populi, &c.*

Sunt multa nobis dia quæ dat gratia:
Ingrata ſed ſunt omnia.

*HVc animos, aures huc vertite, grex meus potentem*
*Audire proni cælitum parentem.*
*Mira canam, quæ nox gravis hactenus obruit tenebris,*
*In luce ponam promta de latebris.*
*Auditu viſuq; canam mihi nota, quò minores*
*Norint, mihi quæ dixerant priores,*
*Præcipuè quantum valeat Deus, utq; ſint ſtupenda,*
*Quæ fecit ille dexterâ verendâ.*
*Is ſibi conſocians vi fœderis Iſraële natos,*
*Hac lege cunctos dixit obligatos.*
*Vt, quæ voce patrum docti, ſacra mordicus tenerent,*
*Suosque noſſe poſteros docerent.*

Quo mandata patris benefactaqúe cælitis tenentes,
Ponant in illo ſpem ſuam volentes.
Diſſimiléſque patrum ſint, qui genus aſperum monenti,
Erant rebelles cæliti parenti.
Non impunè tamen clari (viden') arma ferre nata
Gens Efraimi iam gemit fugata.
Cauſa, quòd immemores pacti, ſcelus omne perpetrabant
Et iuſſa ſancta legis haud amabant.
Nec meritas Domino perſolvere gratias ſtudebant,
Nec mira tanti numinis ſtupebant;
Quæ coram patribus patraverat in Soanis oris.
Signum flagrantis in pios amoris.
Namq; ſuos ducens, juſſit mare diſilire, ſervos,
Hinc inde lympha ſuſtinens acervos;
Adverſus Solis radios duce nube protegebat,
Noctu columnas igneas ciebat.
Et rupem rumpens unda dedit agmen ut mearet,
Paſſimq; campos aridos rigaret.
Iámque bonus miſeros ope fluminis exciti levârat.
Sitimque laſſis aridam fugârat:
Cum bene promeritum linguis petulantibus impetentes,
Bilem movebant Numinis furentes.
Tentabántque Deum, nova pabula ventribus petentes,
Et his furenter vocibus frementes:

*Non menſam nobis potis hîc Deus apparare? nemo*
*Dum, qui levet nos, eſt in hac eremo.*
*Duxit aquas ſaxi de vulnere, num cibare pane*
*Et carne doctus agmen eſt inane?*
*His Deus auditis excanduit, induit ꝗ; diras*
*In Iſraëlem concitatus iras.*
*Quòd populus Domini toties ope tutus, & refertus*
*Bonis, fuit ſpe lubricus repertus.*
*Ingratis tamen ille cibum dedit, arce de ſerenâ,*
*Manus miniſtrans dulce manna plenâ.*
*Inde penu miſſos de cælite cum tulere panes,*
*Rerum bonarum non erant inanes:*
*Res nova, res miranda, canendáque! qui ſolum colebant*
*Cibos homilli cælicos edebant.*
*Quos horum ſatias cum ceperat, Eurus eſt retentus,*
*Mox flans ab Auſtri ſurgit axe ventus.*
*Pulveris hîc inſtar, volucrum citus imbribus pluebat,*
*Plures arenis quas ruens ferebat;*
*Et caſtris mediis miſſas dedit in cibum voraci*
*Turbæ, furenter in Deum procaci.*
*Iam ſedata cibis jejunia, iam fame levatâ*
*Carnis cupido deſiit fugata.*
*Eloquar? hæret adhuc avidis caro faucibus, ſuorum*
*Pœnas ſceleſti cum luunt furorum.*

Nam Deus ultor adeſt irâ grauis, obrutis obeſis
Lectisq́; ſæuo quippe Marte caſis.
Tot mala perpeſsi, nihilominus in ſcelus ruebant,
Et contumaces in Deum fremebant.
Ergo breues vitæ, velut herbula, paululum fuerunt,
Et antè canos eſſe deſier..nt.
Vix tandem, lethi paßim quia nuncii volabant,
Deo reverſi mane ſupplicabant.
Dicentes: noſtrum viuit Deus in malis aſylum,
Cur ergo caſus hos moremur hilum?
Ore pii, ſed mens aberat procul, oris illa chorda
Videbat à ſe diſsidere corda.
Inde Dei pactis gens lubrica non diu ſteterunt
Nam, quæ probarant antè, polluerunt.
Is tamen immeritis veniam dedit, & benignus iras
Suetâ répreßit lenitate diras.
Quippe memor, quòd ſint homines vapor inſolens redire,
Poſtquam caminis juſſus eſt abire.
O quoties iram Domini ſibi voce concitârunt
Stultâ, procaces quando murmurarunt.
Ad proprias vires Domini malè robur æſtimantes,
Eiq́; metas auxilii locantes.
Obliti, quoties illos opis indigos leuârit,
Et de Tyranni fauce liberârit:
Finibus in Phariis miracula multa cum patraret
Modisq́; miris cuncta territaret,

Elu-

Flumina ſanguis erant Nilotica, ne ſitim levare
Poſſent, vel ora ſordidis lavare.
Contactu menſas denſiſsima muſca polluebat,
Domúſque ranis qualibet ſcatebat.
Fructus illorum rapuit ſibi bruchus & locuſta,
Tellus jacebat tot malis onuſta.
Vaſtari ſævâ ſibi grandine vineas videbant,
Hortos eâdem concuti gemebant.
Iiſdem terrifico quoque fulmine damna quæ creavit
Fruges pecúſque quando diſsipavit!
Sic illos urſit Domini furor, Angelúſque latè
Vaſtans catervas gentis efferatæ.
Tum patuit ſubitæ lethi via, proruti cadebant,
Pecúſque paſsim percuti videbant.
Primitias Sobolis, Chami genus improbum jacere
Flebat peremtas vi necis ſeveræ.
Interea, ceu paſtor oves, Deus è mari malorum
In tuta duxit copias ſuorum.
Ibant depoſitâ formidine. Nam ſuos ab undis
Hoſtes videbant obrui profundis.
Devenêre locos, quos dextera Numinis parârat,
Latiſqúe paſſim collibus bearat.
Tum gentes ceſſere locis, ubi grex pius maneret,
Haréſque tutis ſedibus ſederet.
His quoque pro meritis quæ gratia! læta cunctanacti
Fregere ſacri ſacra jura pacti.

Et retroverſi, patrum mala more cum patrabant,
Vt pravus arcus, corrigi negabant.
Nam quæ finxerunt ſibi numina, cernui colebant,
Et patris iras cælitis movebant.
Audiit ille, citâ protin (haud mora) bile concita-
tus.
Eſt Iſraëlis germen execratus.
Silonis liquit tentoria, quæ diu colebat,
Suoſquè præſens & favens fovebat.
Tunc arcam pacti pignus dedit hoſtibus cruentis,
Vt gentis eſſet præda peſtilentis.
Iratuſq; ſuis terris, tulit enſibus necari,
Qui nuper illi tàm fuére cari!
Illa manus juvenum fortiſſima, per rogos iace-
bat,
Quam virginum flos flebilis gemebat.
Turba Sacerdotum venerabilis enſibus cadebat,
Viróſque cæſos nupta nulla flebat.
His preſſos tandem Deus adſpicit, ut ſopore quan-
do
Pulſo reſævit miles æſtuando.
Sic tergo Dominus gravis inſtitit hoſtium ſuo-
rum,
Vt quiſq; vulnus ferret haud decorum.
Ioſephi ſprevit tentoria quàmlibet potentis,
Et Efraimi prælis furentis.
Elegit Iudæ clarum genus, omnibúſque donis
Auctum beavit collibus Sionis.
Hîc ubi pulcra ſibi ſacraria victor excitavit,
Sedemquè finis neſciam paravit.

*Illus paſtorem rapit à grege Davidem, ſit aula*
*Vt rector, hoſpes vilis antè caulæ.*
*Qui fœtas pavit vaccas modò, paſcit Iſraëlem*
*Hæreditatem Numinis fidelem;*
*Et fecit David quæ debuit, integer, benignus,*
*Prudens, & illa dignitate dignus.*

## *PSA. LXXIX. Deus venerunt gentes, &c.*

Hoſtis graſſatur, Dominum pia turba precatur.
Huic ſpondens grates, ſi ſervet ab hoſte penates.

*PRædo cur hæreditatem in tuam, Deus, ruit*
*Cumq; templo civitatem Sternit, orbat, polluit?*
*Cur tuos ſanctos inultos Dat cibum volucribus?*
*Cur recondit inſepultos Beſtiarum ventribus?*
*Cur fluunt rivi cruoris, Sancta circa mœnia?*
*Nemo cur eſt his in oris Oſſa qui condat pia?*
*Omnibus noſtris propinquis Accolisq; ludimur,*
*Vndiquaq;, dum relinquis Nos Iehova, lædimur*
*Quam diu tui furoris Æſtus ille ſæviet?*
*Quamdiu cauſam doloris Hanc cor ægrum ſentiet?*
*Quin in hoſticas catervas fundis has iras pater:*
*In tuum numen protervas, Impiasq; ter quater.*
*Poſteros Iacob furenter Dente quæ vorant ſuo,*
*Et domum vaſtant valenter, Cultui ſacram tuo.*

*O egenis parce, faſsis Facta dele noxia,*
*Et tuâ, quâ ſæpe, laſsis Subveni clementiâ.*
*Vindica nos & tuêre, Te rogamus cernui.*
*Da ſolo latè nitere Nominis iubar tui.*
*Ne mali crepent, quid ultor Ceſſat horum? non tuus,*
*Vindicis carere cultor Hic putetur ſtrenuus.*
*Scandat aſtra compediti Ejulatus agminis,*
*Aſſerantur, impediti Mortis horrendæ minis.*
*Septies da damna plura Iova noſtris hoſtibus,*
*Quàm tuis in ſorte dura Hi dedêre cætibus.*
*Hoc oves tuæ, tuusq; Cætus, ut ſtupebimus*
*Sic canemus, omnibusq; ſeculis laudabimus.*

## *PSA. LXXX. Qui regis Iſraël, inten: &c.*

Petit Tyrannos diſſipari,
Eccleſiamq; vindicari.

*O Paſtor Iſraëlis, alto ſidere*
*Vultus ſerenos exere,*
*Tribusq; gentis univerſas reſpice,*
*Et ipſe ſalvas effice.*
*Vultu ſereno nos miſertus aſſere,*
*Et cuncta cedent proſperè.*
*Irâ quouſq; nos premente ſævies?*
*Nunquam precantes audies?*
*Fuſis cibamur lacrymis ceu panibus,*
*Potamur udis fletibus.*
*Preſſos ſuperba deprimit viciniâ*
*Tot deſpuens convitia.*
*At tu jacentes jam ſerenus aſſere,*
*Et cuncta cedent proſperè.*

*Tranſlata per te vitis à Nilo tua,*
*Per fata victrix ardua.*
*In hoſtium plantata crevit finibus*
*Actis procul radicibus.*
*Montes opacans brachia ſparſit ſua,*
*Vt cedrus ingens, ardua;*
*Ad uſq; flumen æquorisque margines*
*Miſit ſuas propagines.*
*Hanc fers, per hoſtem deſtitutam ſepibus,*
*Premi ſceleſtis calcibus.*
*Feris cibus fit, nutrit alites, aper*
*Hinc eius hoſtis, hinc caper:*
*Tandem miſertus pone bilem felleam,*
*Tuamqúe viſe vineam.*
*Tua manus eſt plaſma, fulci ramulum,*
*Tibi dicatum primulum.*
*En ſub ſecuri ſúbque flammis iam gemit,*
*Tuus furor nos dum premit.*
*Tua benignus plaſma tandem dextera*
*Armis ſupernis aſſere.*
*Vt te citatis proſequamur greſſibus*
*Feſtiqúe cantus laudibus.*
*Tuos jacentes ô benignus aſſere,*
*Sic cuncta cedent proſpere.*

## *PSA. LXXXI. Exultate Deo adjutori, &c.*

Dei canatur voce gratâ gratia,
Idola viret ſtulta contumacia.

*EIa cantus intonate,*
*Et Tonantem prædicate*
*Voce jubilantium.*

*Ad lyram carmen canatur,*
*Tympanóque perſtrepatur,*
*Concrepet pſalterium.*
*Clangor inſonet tubarum,*
*Succinátque tibiarum*
*Vox Calendis dulcibus.*
*Sic enim mandavit author,*
*Iſraëlis ille fautor*
*Iova noſtris patribus,*
*Arva dum Nili colebant,*
*Atq; linguas audiebant,*
*Haud ſatis notas ſibi.*
*Tunc (ait Deus) jacentes*
*Subqúe tot malis gementes,*
*Erigebam vos ibi.*
*Nube tectus vos levabam,*
*Propter undas vos probabam*
*Sic locutus omnibus:*
*Si mihi vultis vacare,*
*Et meis prorſus dicare*
*Corda veſtra juſsibus,*
*Ligneos Deos negando,*
*Et mihi vos mancipando*
*Vnico vero Deo.*
*Qui reduxi vos vagantes,*
*Quicquid optatis precantes*
*Iam vocatus impleo.*
*Hac loquentem nullus audit,*
*Omnis aures turba claudit,*
*Iſraël me deſpicit.*

*Et ruit, quò vult, furenter,*
*Atq; perpetrat licenter,*
*Quæ libido ſuſpicit.*
*Si monenti paruiſſent,*
*Et meas vias iniſſent,*
*Bella vitaſſent fera.*
*Quos habent hoſtes, necatos*
*Aut per orbem diſſipatos*
*Hac dediſſem dexterâ.*
*Tunc ab hoſtis enſe tutis,*
*Et gravi luctu ſolutis,*
*Eſſet à malis quies.*
*Magna farra tunc metendo,*
*Melq; de petra bibendo*
*Ducerent lætos dies.*

## *PSAL. LXXXII. Deus ſtetit in, &c.*

Es judex, æqua lance judica reum,
Sentire ni vis judicem gravem Deum.

*STans in Deorum conſilio Deus,*
*Ad cujus horret judicium reus,*
*De jure quærit judicantes,*
*Vimq; ſuam ſtolidè crepantes.*
*Sic ſemper (inquit) prava fovebitis?*
*Sic æquitati bella movebitis?*
*Sic ſemper ille plus valebit,*
*Qui data perpetuans placebit?*
*Quin orbitati ius miſeræ datis,*
*Et ad ferendam pauperiem ſatis,*
*A vi ſuperbâ quin potentum*
*Aſſeritis lacrymas egentûm?*

*Veſtri favoris cur inopes egent?*
*Hos quando veſtri jura fori tegent?*
*Tandem vocantibus vacate,*
*Viq́ premi miſeros vetate.*
*Fruſtra morentur: non placet æquitas,*
*Tàm præpedivit lumina cæcitas!*
*Nec mente cernunt belluinâ,*
*Quæ miſeros maneat ruina.*
*Magnos vocavi vos equidem Deos*
*Natos profeſſus ſæpè fui meos;*
*Rectéq́; nam celſo ſedentis*
*Vos ſolio ſoboles parentis.*
*At mors, iniquis æqua regentibus,*
*Æquabit horum ſceptra ligonibus;*
*Raptis pari ſub buſta fato*
*Agricola, duce, purpurato.*
*Exurge celſo Rex reſidens polo*
*Capeſſe frenum Legis & in ſolo*
*Vt ſolus hîc rector voceris.*
*Iuraq́ dans placeas, ameris.*

*PSAL. LXXXIII. Deus quis ſimilis, &c.*

Hoſtes quati vult hîc ſuos Eccleſia,
Ut nota cunctis ſit Dei potentia.

R*Vmpe moras Deus, alta ſilentia rumpe, rogamus.*
*Votaq́ ſuſcipe, ſint rata præcipe, quæ geminamus.*
*Hoſtis adeſt multus, quantos ciet ille tumultus!*
*Quos parat inſultus! criſtis trux, robore fultus.*

*Mill.*

*Mille ſuens fraudes, cædes ac bella minatur,*
*Et quo tu gaudes populo technas fabricatur.*
*Grex (ait) inclyte, (quo mora?) currite, perdite flentis,*
*Dum licet, agmina, claráque nomina tollite gentis.*
*Vt conjurarunt, tua frangere pacta parati!*
*Vt conſpirarunt contra tua caſtra vocati!*
*Venit Idumæus, cultórque Moabidos oræ*
*His Agarena cohors comes eſt, ſtimulata furore.*
*Hinc Amalechus adeſt, hinc Ammō dira minatur,*
*Cúmque Philiſtæis Tyrus arva ferox populatur.*
*Aſpice, conferti quantâ feritate ferantur!*
*Germina ne Lothi bello ſe victa querantur.*
*O pereant Siſaræ fato, Midianque cruento,*
*Nec non Ciſſontis, qui præda fuere fluento.*
*Quales ſatebant, quales per rura iacebant!*
*Turpes, infleti, rapti gravis impete lethi.*
*Quæ ſubiit Zebus, ſubeant, quæ ſtratus Orebus*
*Zebea quæ triſtis, quæ Salmuna ductor in iſtis.*
*Hæc ſubeant, inquam, qui dira tuis meditantur,*
*Atque tua terra Dominos fore ſe minitantur.*
*Vt clivo rotulæ vertiginis axe rotentur*
*Vtque leves ſtipulæ, levibus Zephyris agitentur.*
*Vt montana faces populantur brachia dira:*
*Sic hos perde tua, vindex Deus, ignibus ira.*
*Illius huc illuc agitentur turbine fracti,*
*Fatáque dura gemant tot tempeſtatibus acti.*
*Ora colorentur turpi confuſa rubore,*
*Vt terimentur duro ſtimulante dolore,*
*Cúmque leves faſtu tumido ſine fine tumeſcant,*
*Fac tandem timidi ſine fine pudore rubeſcant*

*Vt norint ſolum Dominum te ritè vocari*
*Cunctorum, quacunq́; ſolum tegit axe polari.*

## *PSAL. LXXXIV. Quàm dilecta tabernacula, &c.*

Felix quater! qui Civis eſt Eccleſiæ,
Hæc arca ſervat: huc cohortes aviæ.

*O Rex armipotens aura tui gregis,*
*Qui belli varii mille vices regis,*
*Vt ſunt grata piis templa domus tua,*
*Pulcra, nobilis, ardua!*
*Hîc mens noſtra tuum deperit atrium,*
*Hîc deſiderium membra tenet pium,*
*Hîc cor lætitiâ palpitat in meo*
*Vita fonte mea, Deo.*
*Hic nidos poſuit paſſer in atriis,*
*Et veris, latebra ſunt ibi, nunciis:*
*Quando conſpicient, vos oculi mei*
*O ara patrii Dei!*
*Felices nimiùm, quos tua gratia*
*Hæc intrare ſinit, mi pater, atria!*
*Illic perpetuis dant tibi ſeculis*
*Lætis jubila chordulis.*
*Felices nimiùm, quos juvat hîc tuo*
*Niti, ſumme pater, robore, non ſuo:*
*Ter felix ſuperæ ſedis in atria*
*Qui certâ penetrat viâ.*
*Nam, vallis ſuperat cum loca flebilis,*
*Defeſſum recreat rivus amabilis,*
*Non illum ſtudio deſerit in pio*
*Cæleſtis benedictio.*

*Palmam palma, pedem pes premit in viâ,*
*Cum prenſant placidi Numinis atria:*
*Vt ſic conſpicuus conditor in ſuis*
*Templis fulgeat arduis.*
*O exercituum magne Deus, tuas*
*Aures pande mihi, nec pia reſpuas*
*Durus vota; potens Iſacida Deus,*
*Te clamor moveat meus.*
*Sis noſter clypeus, cumq́ meo grege*
*Me patrem placido Numine protege;*
*Ne Chriſti faciem deſpicito tui,*
*Poſsit ſede tuâ frui.*
*Illic una dies eſt mihi ſeculum,*
*Illis malo brevem ſedibus angulum*
*Quàm poni ſolio celſus in impio*
*A ſacro procul atrio.*
*Hîc Sol, hîc clypeus lataq́ gratia,*
*Et, dignare tuis quam dare, gloria.*
*Hîc puris ſcelerum tu bona dividis*
*Indignantibus invidis.*
*Felix eſt igitur, bis, ter, & amplius,*
*In te qui ſolidam ſpem locat altius,*
*O Rex armipotens ara tui gregis*
*Qui bellum creperum regis.*

## *PSAL. LXXXV. Benedixiſti terram Domine, &c.*

Arx Deus fuit; eſt, erit piorum,
Illis quem cumulum parat bonorum!

SEmper, Iehovah, caſtra juviſti tua,
Captos remittens in ſua,
Culpasq́ laxans, patriâq́ gratiâ
Patrata ſolvens noxia.
Ad hac furoris mitigans illos tuos
Fluctus minaces, arduos.
Idem ſalutis nunc ades dator, pio
Nos ſublevans ſolatio.
Num, fine demto, ſavies, clementia
Oblitus usq́ patria?
Nunquam levabis nos jacentes? nubila
Nunquam fugabunt jubila?
Tandem ſalutis pande placatus viam,
Tuamq́ priſcam gratiam.
Iam pandit ecce, mente tetrâ noxia
Nox cedat ignorantia.
Salus Deum timentibus ſit obvia,
Et læta palmâ gloria.
Clementia iam copulatur veritas,
Sororq́ pacis æquitas.
Fides amano certa deget in ſolo
Aſtræa deſcendet polo
Fructu beabit terra cunctos ubere
Nutu ſuperna dextera.
Pulcer vigebit ordo. ſurget æquitas
Ingreſſa rectas ſemitas.

## PSAL. LXXXVI. Inclina Domine, &c.

Infirmitatis conſcius vates ſuæ,
Potentiæ ſe, ſumma vis, credit tuæ.

AVres pande, Deus, tuas
Vt Votis miſerî ſupplicis annuas.
SerVa te mihi ſerVulum,
De te propitio Numine pendulum.
Audi, quaſo, benigniter,
Qui te Voce Vocat ſupplice jugiter.
Mentis nubila diſiice,
Et ſerVum Dominus me bonus adſpice.
O fons limpide gratia,
Et, quâ cuncta foVes, munificentia?
Attentis bonus auribus
Hauri, ſollicitis qua gemo luctibus.
Nam quem tempore felleo,
Te prater, gemitu ſollicitem meo?
Nemo par tibi Viribus,
Nemo terrificis par Deus actibus.
Gentes undiq́; confluent,
Ad laudesq́; tuas poplitibus ruent.
Vt qui ſolus in omnia,
Mirâ ius habeas regna potentiâ.
Dic, qua ſit Via, quam teram,
Vt teritè colam, ſubq́; polos feram.
Et grates tibi jugiter,
Dicam mellifluo carmine dulciter.
Qui me rebus in aſperis
Infernâ miſerum de ſcrobe traxeris.
Hoſtes mille minis fremant.
Securiq́; tui, propoſitum premant.
Tu placabilis & favens
Promiſsiq́; tenax, atq́; tuis cavens,

*Me clemens pater adſpice,*
*Et, ne verna tuus devorer, effice:*
*Serva me tibi ſervulum,*
*Confuſum ruber ut polluat æmulum.*

## *PSAL. LXXXVII. Domine Deus ſalutis mea, &c.*

Laudat Sionem (ſignat hæc Eccleſiam)
Ut orbis urbem nobilem, primariam.

*MOntibus ſanctis poſuit nitentis*
*Deus Sionis limina,*
*Qua locis tutis Solymæ potentis*
*Defenderent fundamina.*
*Arbiter rerum Dominusq; carum*
*Limen Sionis diligit,*
*Poſthabens urbes, Abrahamidarum*
*Quaſcunq; germen erigit,*
*Vrbium mater quater ô beata!*
*O non tacenda poſteris!*
*Civitas rerum Domino dicata*
*Quàm glorioſa diceris!*
*Te colunt gentes, Babylon Pharosq;*
*In te Deo dant nomina;*
*Te Paleſtina populi, Tyrosq;*
*Colit, colentem Numina.*
*Omnis in terris homo nationis*
*Vltrò locans ſedes ibi*
*Expetet civis fieri Sionis,*
*Quam condidit Deus ſibi,*

*Quamq́; fundavit, populos eidem*
*Illos & illos inſeret,*
*Et, velut natos ibi, fautor idem*
*Contra prementes aſſeret.*
*Hîc, ut exercens agiles choreas,*
*Pſallet chorus ſuaviter,*
*Omnibus cunctas modulis plateas*
*Quando replebit dulciter.*

## PSAL. LXXXIIX. Miſericordias, &c.

Cum tua mens mortis percellitur ægra pavore,
Tu dic; quid metuam? Domini ſto nempe favore.

*TE noctu voco, te die*
*O æterna ſalus, fons bone gratiæ,*
*Tu ne rejice ſupplicem;*
*Sed duram patriâ mente dole vicem.*
*Nam mens plena malis mea*
*Me jam penè videt ſub ſcrobe buſtea.*
*Cæco ponor in agmine,*
*Læto me relevat nemo levamine.*
*Ignoror, quaſi mortui,*
*Eheu! nemo mei jam miſeret. Fui.*
*Nunc atris tenebris premor.*
*Quæ carcer necis eſt, & pavidus tremor,*
*Hæc præſtant mihi tormina*
*Ira, Iova, tuæ triſtia fulmina.*
*Noti me fugiunt mei*
*Preſſum compedibus carceris anei.*

*Languent lumina triſtia,*
*Dum ſlens uſq; tibi porrigo brachia.*
*Expectáſne, ſit ut tuus*
*Præco, qui cinis eſt, terráq;, mortuus?*
*Illi, vis, tua veritas,*
*Illi, vis, tua ſit carmen ut æquitas?*
*Illic ſubrutus à lue*
*Quisquam mira ſonet facta manus tuæ?*
*At mecum labor hic erit,*
*Seu Sol, ſeu vaga me Delia viderit.*
*Tu tantùm maneas propè,*
*Et vultus patrii me recrees ope.*
*Duris à puero premor,*
*Semper me pavidum ſollicitat tremor.*
*Terrorum video ſatis,*
*Ira quando tua verbere me quatis.*
*Et mergis, quaſi flumine,*
*Æſtus horrifici vindice fulmine.*
*Mutans corda fidelium,*
*Ne me reſpiciant cladibus obvium.*

## PS A. LXXXIX. *Miſericordias Dom:* &c.

Flet preſſa, tardas fert moras, Eccleſia
Sic pacta preſſam ſuſtinent fidelia?

*DIcam clementem cæli terráq; parentem,*
*Dicam veracem Dominũ, fideiquẽ tenacem.*
*Nam bonitas eius cum Cœlo durat & aſtris*
*Atq; fides conſtans. Iudæ notiſſima caſtris.*
*Ille pii pepigit cum Davide fœdera pacti*
*Cujus adhuc memor eſt, his verbis ritè peracti:*

*Æterni regni tibi regi ſceptra parabo,*
*Et, quæ perpetuum regnet, te prole beabo.*
*Summe parens rerum, cælo tua mira canuntur.*
*Te facilem, verum, ſanctorum caſtra loquuntur.*
*Nam quis te præter Deus eſt, quem conferat æther*
*Ipſe tibi? mundi quem machina tota rotundi?*
*Tu ſi concilium celebras ſublime piorum,*
*Oſorum nimiùm pavet omnis turba tuorum.*
*Tu Martis creperi gentes premis arte protervas:*
*Tu ſtudio veri, quæ jungis, fœdera ſervas.*
*Te fera tempeſtas audit, refugitq́ue jubentem:*
*Te metuunt fluctus juſſu freta mota prementem.*
*Tu contrivisti tumidam Pharon impete ſævo,*
*Et quicunq́ue tuos aggreſsi numine lævo.*
*Tu cœli plaſtas ſtatuiſti templa nitentis,*
*Tu terræ ſtabilis communis fulcra parentis.*
*Tu quando mandas madidis Notus evolat aliis.*
*Te Tabor agnoſcit, Boreæ te flabra nivalis.*
*Tu valida magnâ vi dextra brachia vibras,*
*Dum ſortis noſtra duriſsima pondera libras.*
*Ad ſolium bonitas adſtat juſtumq́ue ſeverum:*
*Gratia læta præit, comes illi nobile verum.*
*Felix! quiſquis ibi fruitur clangore tubarum,*
*Et Domini facie fatum ſolatur amarum.*
*Hîc longi luctus gaudebit mole ſolutus*
*Juſticiaq́ue tua ſaliet, quaſi tegmine, tutus.*
*Illic cultorum tu robur & aura tuorum:*
*Efficis illorum cornu fulgere decorum.*
*Te ſcuto freti tranquillâ pace fruuntur,*
*Teq́ue ſuum læti regem Dominumq́ue loquuntur.*

*De quo per vatem dederas reſponſa vetuſtum:*
*En regem vobis do forti pectore juſtum.*
*David is eſt pars ſervorum vel prima meorum:*
*Huic oleo ſacro caput unxi ritè decorum.*
*Huic manus hæc animos dabit, auxiliumq́; regen-*
*di,*
*Commiſſosq́; ſibi populos & regna tuendi.*
*Nil inimicus atrox illi Mavorte nocebit,*
*Victus enim fraudes malè proveniſſe dolebit.*
*Nil ipſum lædet rabies adverſa premendo,*
*Quippe flagrans odiis pœnas dabit ipſa jacendo.*
*Reginamq́; Fides erit, & mea Gratia præſto.*
*Hinc illum plauſu tollet victoria feſto.*
*Hinc mare Sidonium magnâ ditione tenebit,*
*Illinc Euphratem, quò regnum tendat, habebit.*
*Mi pater (ille mihi dicet) mea petra, meorum*
*Culmen honorum, cauſa bonorum, palma laborũ.*
*Hunc ego prælatum Regis dignabor honore,*
*Utq; pater gnatum, miro complectar amore.*
*Quo cum ſincerè, procul omni fraude, peracti*
*Nulla dies cernet violari fœdera pacti.*
*Condendo ſoles longos, ut palma, virebit*
*Cumq́; polo ſoboles ejus, ſoliumq́; manebit.*
*Quod ſi poſteritas regis minus iſta revolvet,*
*Atq; rebellabit, promiſſaq́; fœdera ſolvet.*
*Judicij ſecura mei legisq́; ſeveræ*
*Nolet noſtra ferox præcepta verenda valere.*
*Pro meritò populi ſcelus exitiale rebellis*
*Virgarum multabo, patris de morte, flagellis.*
*Non tamen hunc ſolito ceſſabo fovere favore*
*Sed verax, poſito, reddam promiſſa, furore.*

Quod pepigi pactum ſine fine valere jubebo,
E ſemel emiſſum verbum revocare cavebo.
I ravi ſanctè feriens cum Davide pactum,
Quod, ſcio, nulla dies abolebit & hora peractum.
Semen enim regis viret, æternúmq; virebit
Cumq́; polo proles, ſolium cum Sole manebit.
Delia donec erit formis obnoxia miris,
Et teſtis fidus variis in nubibus Iris.
Nunc ubi ſancta fides, Vncto quam ſæpè dediſti?
Cur premis iratus, rupes cui firma fuiſti?
Fœdera calcâſti regem calcando repulſum,
Quando prophanaſti capiti Diadema revulſum.
  Ecce jacent duri, (tua quondam mœnia) muris
I eſtructiq́; patent, hoſti loca pervia furi.
Præda ſumus cunctis miſeri penitusq́; jacentes,
Noſtraq́; vicinæ rident mapalia gentes,
Quas quia tu certis donas in vulnera nervis,
Nos ludunt dictis, hac læti ſorte, protervis.
Interea noſtras hebetaſti peritus haſtas
Hinc fugimus, quando nobis non amplius æſtas.
Vertiſti priſcum ſceptri, ſoliiq́; nitorem
In tenebras heu horrificas, triſtemq́; nigrorem.
Ante diem juvenum florem ſub buſta vocaſti,
Cum reliquis vindex ingloria fata parâſti.
Ah nunquámne tuos oculis ſpectare benignis
Te ſinet ira furens, æſtu quæ ſævit, ut ignis!
Stamina quin reputas quam nobis curta parâris
Nequicquámne putas, humana quòd ora creâris
Cur properas miſeris properè venientia fata
Cum non ſit, mortis fugiat qui tela parata?

Quo

*Quò bonitas ceſsit tua? quò memorabile pactum*
*Sincerâ, ſine fraude, fide cum Davide factum?*
*Aſpice, probra tuis quæ fiunt plurima ſervis,*
*Quæq́ ſinu tegimus linguis iactata protervis.*
*Aſpice quàm multa fundant convitia gentes!*
*In Chriſtum ſtultè blaſphemâ voce furentes.*
*Sic verax nobis celebraberis omnibus horis,*
*Ingeminetur Amen modulis à plebe canoris.*

## *PSAL. XC. Domine, refugium factus, &c.*

Diurna noſtra vita tot malis ſcatet,
Et culpa noſtra quòd ſit in culpa, patet.

*O Iehovah, tu ſupernâ,*
*Noſtra turris, anchora,*
*Æquitas tu ſempiterna,*
*Noſtra firmans pectora.*
*Antequam montes ſteterunt,*
*Circulusq́ terreus,*
*Antequam cœli fuerunt,*
*Tu fuiſti, mi Deus,*
*Permanesq́, nos perimus,*
*Linquimusq́ carcerem,*
*Inq́ patrium redimus,*
*Cum iubemur, pulverem.*
*At tibi, regnator, acta*
*Sunt dierum millia,*
*Vt dies heri peracta,*
*Noctis ut cuſtodia.*
*Nos repentè diffluentis*
*Vnda torrens agminis.*

Nos vapor, ſomnus, virentis
Nos imago graminis.
Manè quod nitens virore
Veſperi ſucciditur,
Et ſuo carens decore
Pabulanti venditur.
His malis vitæ fugacis,
Illud eſt moleſtius.
Quòd tua nos vis tenacis,
Vrget ira fortius.
Cuncta dum vides acutum,
Quæ patramus clanculum.
Ad tegenda furta tutum
Non habemus angulum.
Hinc fit, ut tui furoris
Cogitatu territi,
Poſt gravis penſum laboris
Hinc eamus perciti.
Luſtra bis ſeptem gementes
Vel bis octo degimus
Alitisq; mor(a) flentes
Ilicet diſcedimus.
Tanta vis tui furoris!
Hanc tuam potentiam
Quis ſcit? aut hujus laboris
Suſcipit curam piam?
Da ſubinde cogitemus,
Eſſe nos vitæ brevis,
Vt decenter ambulemus,
Qua pater nos trevis.

*Ah bonus tandem ſuis ſis,*
*Nec precatus deſpice,*
*Sed malis culpis remiſſis*
*Servulos nos reſpice.*
*Manè nos motu paterno*
*Supplices amplectere,*
*Gaudio quò ſempiterno*
*Perfruamur veſperè.*
*Poſt nigras noctes ſerena*
*Da niteſcat ut dies,*
*Poſt labores ô amana*
*Da tuis ſerpat quies.*
*Quæ facis, parens beate,*
*Nota ſint ſervis tuis,*
*Hac ut illi deinde latè*
*Prædicent natis ſuis.*
*Sis favens nobis, tuaq;*
*Suſtine nos dexterâ.*
*Et favore, gratiaq;*
*Cœpta noſtra proſpera.*

## *PSAL. XCI. Qui habitat in adjuto: &c.*

A peſte, vel quacunq; , vexatur cruce
Cœtus piorum, tutus eſt Deo duce.

*QVi te tuendum cunq; fidelibus*
*Summi parentis credis amoribus,*
*Illius ala te fovebit,*
*Sortis hyems nihil hic valebit.*
*Dices Iehova, ſpes mea tu, meum*
*Tu fata contra robur aheneum,*

*In te recumbo, ſortis illa*
*Dum citò decrepitant favilla.*
*Hac elocutum te Deus aſpicit,*
*Fraudéſq; cacas, bellaq; disjicit,*
*Neu te perurat bubo dirus,*
*Peſtis agit procul omne virus.*
*Aliſq; pullos ales uti tegit;*
*Sic orbis autor te fovet & regit.*
*Scuto ſub hoc curis ſolutus*
*Vſq; trahes tua penſa tutus.*
*Per noctis atra caca ſilentia,*
*Non expaveſces fata minantia.*
*Nec, qua diei luce certa*
*Tela jacit malè vis aperta.*
*Non mortis arcu lethifero rues,*
*Cum tetra ſerpet per tenebras lues;*
*Nec cũ frement peſtes cruenta,*
*Sole vias medias tenente.*
*Interq; cades mille cadentium*
*Dextrâ; ſiniſtrâ, cladibus obvium*
*Te Numen aſſiſtens juvabit,*
*Nevè cadas, ope ſublevabit.*
*Iam gaudium quò ſit tibi plenius,*
*Pœnas, videbis, cum dabit impius,*
*Eriſq; verax ipſe teſtis,*
*Quòd mala det Dominus ſceleſtis.*
*Hac te manebunt pramia, quòd Deo*
*Eſt dextra turris firma tua ſpei.*
*Hoc nactus in malis aſylum*
*Aſpera fata moreris hilum.*

Non ulla ſortis te rabies premet,
Cum dira fati vis alibi fremet.
Surgentibúſq; tot procellis
Soſpes ages procul his flagellis.
Mandata de te quippe dedit Deus,
Accepit ultrò grex ea flammeus;
Cuſtode tutus hoc tuorum
Ingrederis iter laborum.
Hic per ſalebras montibus arduis,
Portabit ultrò te manibus ſuis,
Ne planta nuda ſaucietur,
Et lapis aſper iter moretur.
Non extimeſces agmina tigridum
Non os, valentũ morſibus aſpidũ;
Calcabis horrendos Dracones
Et rabidos Lybia leones.
Hîc Numẽ (inquit Iova) colit meũ,
Nomenq́; novit: proin ſtreperis eũ
Sortis procellis liberabo,
Inq́; loco ſtabili locabo.
Clamavit ad me: non erit irritus
Clamor, medullis pectoris editus,
Preſſo malis ſortem levabo,
Atq; novum decus arrogabo.
Seros ſenecta ſaxo trahat dies,
Quà me colentes parte fovet quies,
Hîc diſcet, ut ſciam beare,
Quos mihi ritè juvat litare.

## *PSAL. XCII. Bonum eſt confiteri, &c.*

Paulùm ſcelestus floret, æternùm pius,
Dei favoris ne ſit orbis neſcius.

*V T te laude vehi bonum!*
*Qui fixiſ ſuperâ ſede tibi thronum:*
*Proin carmen tua lenitas*
*Primâ luce mihi, veſperè veritas.*
*Te tollet lyra tinnula,*
*Te denis numeris garrula chordula.*
*Nam me facta tua manus*
*Delectant, mihi quæ fama refert anus.*
*Quàm ſunt magna! quis invias*
*Tanti conſilii ſcire poteſt vias!*
*Stultus nil videt hic, gulæ*
*Et partæ ſatagens addere reculæ.*
*Vt gramen, viret impius,*
*Sed flos ille tamen defluet ocyus.*
*At celſi, Deus, ætheris*
*Nullius ſpacio temporis interis.*
*Hoſtes fata tuos terunt,*
*Diſperſi ſceleris cum precium ferunt.*
*Tu dum me, Iova, viribus*
*Et lætis vegetum reddis honoribus,*
*Quid ſpectabo? quid audiam?*
*Quòd gentem rapias ilicet impiam.*
*At palmæ ſimilis pius,*
*Vel Cedris Libani ſe levat altius.*

*Qua Iova ſtat in hortulis,*
*Cunctis tuta viret plantula ſeculis.*
*Semper florida, fertilis,*
*Et tunc, cum ſenio carpitur, utilis.*
*Vt conſtet, quòd, ut eſt piis*
*Arx, & petra Deus, ſic tremor impiis.*

*PSAL. XCIII. Dominus regnavit, &c.*

Chriſto pius grex Rege tutus, hoſtium
Minas inanes ridet inſolentium.

*EN regni Dominus ſceptra tenet ſui,*
*Ejus ſol rutilus cedit amictui*
*Nam cinctus valido robore jugiter*
*Dat jus omnibus arbiter.*
*In fixo ſolium conſtituit ſolo,*
*Cum terram ſtabilem diſcidit à polo;*
*Qua ſtaret ſolidis nixa repagulis*
*Pictis florida floſculis.*
*Inſurgant ſtreperis flumina montibus,*
*Et terram quatiant undiq; motibus*
*Incumbat Solio, maxime Rex, tuo*
*Impulſu pelagus ſuo.*
*Fortis lympha ſuo proruat agmine*
*Magna naufragi ſint pelagi mina;*
*Major rex ſupero qui reſidens polo*
*Dat ſedem ſtabilem ſolo.*
*Eius cuncta manent dicta fidelia*
*Nec non flore nitens perpete gratia,*
*Indulſit facilis quam domui ſua*
*Rex æthra bonus ardua.*

*PSAL. XCIV. Deus ultionum, &c.*

Hîc optat aſſeri pios,
Cædiq; cætus impios.

*INiquitatis hoſtis ecquando pates?*
*Quoúſq; quæſitus lates?*
*Solum polumq; cum ſalo qui judicas*
*Ecquando vindex emicas?*
*Quoúſq; faſtu ſe ſuperbi porrigent?*
*Quoúſq; criſtas erigent?*
*Quoúſq; dictis infrement procacibus,*
*Suisq; plaudent fraudibus?*
*Hæreditatem, cernis, ut tuam premant,*
*Pios ut adverſum fremant.*
*Orbas maritis patribúſq; proterunt,*
*Nec, hoſpes ut vivat, ferunt:*
*Secumq; muſſant: hæc Deus non adſpicit*
*Nec, ſi videret, perſpicit.*
*O mente capti, jam ſoporem pellite*
*Et cuncta clarè cernite.*
*Non audit auris autor? autor luminis*
*Nil cernit uſquam criminis?*
*Qui punit orbem, ſcilicet non puniat,*
*Et ſcire qui dat, neſciat?*
*Ah ſcit Deus, ſcit cogitatus omnium,*
*Scit eſſe cunctos ſomnium.*
*Beatus, ultrò quem Deus ducit, pias*
*Per legis æternæ vias.*
*Talis quieto perfruetur otio,*
*Dum ſcrobs paratur impio.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0190-1

*Deus piorum caſtra nunquam deſerit,*
*Sed preſſa vindex aſſerit.*
*Vocans ad aequi jus ſuum repagula,*
*Quæ ſunt piorum regula.*
*Quis, in malignos & ſuperbos dum ruo,*
*Me Marte ſuſtinet ſuo!*
*Ni ſublevaſſet me Deus palmis ſuis,*
*Accenſus eſſem mortuis.*
*Sed cum querebar: metus eſt heu pes meus,*
*Meus levavit me Deus,*
*Mœrore cumq́; roderer cor anxio,*
*Miro refecit gaudio.*
*At odit idem vi feroces noxiâ*
*Qui jura condunt impia.*
*Qui fata juſto, damna qui parant piis*
*Sævis truces ſententiis.*
*At, in malis qui ſemper eſt portus meus,*
*Rupeſq́;, cui fidam, Deus.*
*Diſperdet iſtos peſtilentes, fraudibus,*
*Suis peribunt artibus.*

## *PSAL. XCV. Venite exultemus, &c.*

Moros moretur mora pertinacia,
Plebs curre noſſe facta Meſſiæ pia.

*E la manſuris alacres ſonemus*
*Deum ſalutis laudibus,*
*Et gravi functi cruce, jubilemus*
*Feſtis vacantes plauſibus.*
*Mora ſit longè mora, prodeamus*
*Citis volantes paſſibus,*

*Et Dei nomen meritis feramus*
*Latis ſub aſtra laudibus.*
*Nam Deus magnus Dominus, ſuisq́ꝫ*
*Rex magnus actis dicitur*
*Qui polo fixit ſolium, Deisq́ꝫ*
*Plus poſſe cunctis creditur.*
*Hic manu fulcit validâ parentis*
*Terra cavernas abditas,*
*Montis hic idem ſtabilit rigentis*
*Sub aſtra moles editas.*
*Ejus eſt ingens opus inquietis*
*Æquor ſonorum fluctibus,*
*Ejus eſt tellus opus alma, latis*
*Frugum decora fructibus.*
*Ergo tàm factis celebrem parentem*
*Flexo colamus poplite;*
*Ille nos fecit ſibi, promerentem*
*Plebs cuncta laude tollite.*
*Nam Deus noſter Deus eſt, herusq́ꝫ*
*Nos gentis ejus agmina.*
*Ille nos paſtor ſibi paſcit usqꝫ*
*Ad lata ducens gramina.*
*Tàm pii vocem patris hauriamus*
*Omnes apertis auribus.*
*Nec, velut juxta Meribam, fremamus*
*Rixis procaces turpibus.*
*Nam patres veſtri male provocarunt*
*(Ait Iehovah) me Deum.*
*Qui tamen Numen toties probârunt,*
*In rebus adverſis meum.*

*Per quater denas mihi gens ariſtas*
*Iſthac furenter reſtitit,*
*Nec, ſuas tollens maleſana criſtas,*
*Carere mente deſtitit.*
*Ergo juravi (mihi juſta verbum*
*Extorſit ira ferreum)*
*Sabbathum gens ſæva, genus ſuperbum,*
*Non introibit in meum.*

## *PSAL. XCVI. Cantate Domino, &c.*

Gentes ad omnes pertinet verbum Dei,
Quæ voce vatis huc vocantur enthei.

*IN novum melos vacate,*
*Et Deum verum ſonate*
*Orbis omnes incolæ,*
*Quisq; nomen concinendo*
*Atq; numen confitendo*
*Vindicis Dei cole.*
*Clara latè per frequentes*
*Laus Dei virtúsq; gentes*
*Prædicetur poſteris,*
*Vt Deus magnus creando?*
*Vt celebris prædicando!*
*Diis timendus cæteris.*
*Nam quid hi? ludicra tantum:*
*Numen at quod, quale, quantum,*
*Fabricantis omnia.*
*Iova quantus dignitate!*
*Quàm potens auctoritate!*
*Quam ſtupendus gloriâ?*

*Eja gentes huc volate,*
*Et Dei laudes ſonate*
*Atq; vires maximas.*
*Nomen ejus efferentes,*
*Inqúe templum conferentes*
*Hinc & illinc victimas.*
*Ite ſupplices precando,*
*Et nova pompa vacando,*
*Quâ Deus rex emicat.*
*Norit hunc gens cuncta Regem,*
*Per ſuam qui ritè legem*
*Vniverſos iudicat.*
*Gaudeat cælum, reſulta*
*Terra, lympha mole fulta*
*Cum freti ſtridoribus.*
*Fertiles agri vireſcant,*
*Floribus ſylva niteſcant,*
*Et graventur fructibus.*
*In Dei laudes vacando,*
*Qui venit, jus iudicando*
*Vt det unus omnibus.*

## *PSAL. XCVII. Dominus regnavit, &c.*

Idola nil ſunt, in Deo fiduciam
Locato, cujus hîc legis potentiam.

*REx regum Dominus iura tenet poli,*
*Exultet facies frugiferi ſoli,*
*Diffuſa tumidum per mare ſingula*
*Certent plauſibus Inſulæ.*

*Denſa*

*Denſa nubis ibi verſicoloribus*
*Hinc illinc Deus eſt tectus amictibus.*
*Cujus judiciis eſt baſis æquitas*
*Et contracta ſeveritas.*
*Quó ſe cunque movet flamma ſequacibus*
*Præcurrit rapidi fulminis ignibus,*
*Et, canum ſceleris quos juvat, hoſtium*
*Agmen devorat obvium,*
*Sic emiſſa polo fax ubi dimicat,*
*Æther horrificis fulguribus micat:*
*At tellus, validè dum quatitur, tremit,*
*Mugitúq; gravi gemit.*
*Tunc montes, veluti cera fluit, fluunt*
*Et divulſa ſuis ſaxa locis ruunt.*
*Ad vultum Domini terra tremit ſuî*
*Magni, divitis, ardui.*
*Cuius juſticiam, juráque mitia*
*Cœli templa ſonant omnipotentia,*
*Et quæcunque Dei cuilibet obviam*
*Spectant climata gloriam.*
*O confuſus humum ſpectet iners, Deos*
*Pro verò trepidans Numine ligneos:*
*At calcet pedibus, qui ſapit, aureum,*
*Æternúmq; colat Deum.*
*Et grato foveat pectore gaudia,*
*Quæ Iudæa, potens arce Sionia*
*Sentit judiciis læta tuis, Deos*
*Qui vi deſtruis aureos.*
*Tu cœli gravidis nubibus altior,*
*Tu quovis Dominus numine fortior.*

*Sub te ſtelliferi regna jacent poli*
*Sub te res inopes ſoli.*
*Ergo ritè colunt qui pia Numina,*
*Vt peſtem, fugiant impia crimina.*
*Nam rectos Dominus, corda fovens pia*
*Avt liberat impiâ.*
*Et poſt triſticia turbida nubila,*
*Iuſtis lætitia dat nova jubila,*
*Vt quâ nox tenebris horruerat prius.*
*Lux ſurgat nova latius.*
*Ergo juris amor quos juvat, æquitas*
*Quos rectas docuit carpere ſemitas.*
*Sancti ſancta Dei nomina pangite*
*Caſti carminis alite.*

## PSAL. XCVIII. Cantate Domino, &c.

Cælum, terra, fretum,
Sit Chriſto vindice lætum.

*IN novos modos vacate*
*Et Dei noſtri ſonate*
*Mira patrans brachium.*
*Hoc ſalus nobis parata,*
*Perq́ue fines prædicata*
*Vniverſos gentium.*
*Præſtitit Deus fideli*
*Quod ſpopondit Iſraëli,*
*Vt liquet jam gentibus.*
*Omnis ergo terra plaude*
*Et Deum ſonare gaude,*
*Quippe dignus laudibus.*

Plau-

Plauſibus cunctis vacate,
Et pios pſalmos ſonate,
Garrula teſtudine.
Dent tuba vocem ſonora
Buccina clangant canora,
Intuente Numine.
Gaudio fretum reſultet,
Undâ littus latâ pultet
Terra cuncta geſtiat.
Dulcè plaudat omne flumen,
Omne montium cacumen
Vindicem Deum ſciat.
Nam venit ſalus ſuorum
Servet ut cœtus piorum,
Et ſuperbos puniat.

## PSAL. XCIX. Dominus regnavit, &c.

Ringatur hoſtis ferreus,
Adhuc, adhuc regnat Deus.

REx, qui miniſtris jura dat igneis,
Sceptris verendus jam micat aureis,
Immugiat tellus, furentes
Arma fremant rapiantq́ue gentes.
Iehova noſter celſior omnibus
Majorq́ue, ſævis damna dat hoſtibus,
De rupe noſter rex Sionis
Nos videt, accumulatq́ue donis.
Illius ergo numen honoribus,
Summisq́ue cunctis tollite laudibus

*Pius, pium, ſanctum, colendum:*
*Hoſtibus horrificum, tremendum.*
*Rex noſter orbi, ceu pater, imperat*
*Nam robur æqui pondere temperat.*
*Exempla longè ne petamus,*
*Iſacidas modò conſulamus.*
*Tam mite numen fata gementibus,*
*Sanctumq́; dignis tollite laudibus*
*Ejus ſcabellis advoluti,*
*Si cupitis ſatis eſſe tuti.*
*Sic vota Moſes rebus in arduis,*
*Sic fudit Aron, Sic Samuel ſuis*
*Quærebat in malis levamen,*
*Audieratq́; Deus precamen.*
*Sic ille pronos juſſa ſequi ſua,*
*Legisq́; latæ pacta fidelia*
*Nubis cava pila tegebat:*
*Quaq́; malum fugerent, docebat.*
*Et audiebat vota bonus pia,*
*Culpæ remittens auſa nefaria*
*Sed & ſeverè puniebat,*
*Lerna quibus ſcelerum placebat.*
*Sic ergo juſtum Numen honoribus,*
*Nomenq́; ſanctum tollite laudibus.*
*In monte ſancto provoluti*
*Si cupitis ſatis eſſe tuti.*

## *PSAL. C. Jubilate Deo omnis terra, &c.*

Iehova ſervans quæ creavit omnia,
Ejusq; verum, voce cantetur piâ.

TEllus in oris omnibus
Feſtis reſulta plauſibus
Et delibuta gaudio
Servito Numini pio.
Omnes verentes Numina.
Adite ſancta limina,
Geſtite lætis gaudiis
Salite plauſibus piis.
Nam Iova nos rex maxumus
Creavit, illius ſumus
Grex, plaſma, paſtor in ſuis
Nos paſcit ille paſcuis.
Illius ergo per via
Inite regis atria,
Numenq; dignum laudibus
Feſtis ſonate cantibus.
Cuius ſuavis lenitas
Cuius perennis veritas,
Promiſſa certe reddere
Non amne lethes mergere.

PSA. CI. Miſericordiam & judicium, &c.

Hîc ſpecitur ſpecimen, quale bonum regimen,
Rex bonus iſta legat, quò bene regna regat.

CÆlitum patrem, facilem querelis
Odis ſanabo dulcibus.
Huic comes ſemper veniam fidelis,
Ferarq; lætis paßibus.

*Integer Sanctæ probitate vitæ,*
*Ero typus meo gregi,*
*Is meas ædes, pia tecta, ritè*
*Videbit, & ſanctè regi.*
*Haud ſequar vafrè miſeros prementem*
*Catus iniquis litibus,*
*Nec, ſuum prodit malè qui clientem*
*Prævaricationibus.*
*Deditos pravis ſtudiis ſtudebo*
*Vitare totis viribus;*
*Nec meos inter famulos habebo*
*Iſtis faventes artibus.*
*Clàm ſuum quisquis lacerat ſodalem*
*Cenſor ſeverus conteram.*
*Nec ſuperborum mihi noxialem*
*Adeſſe turbam perferam.*
*In ſinu rectos oculisq; catus*
*Geſtabo dignos cultibus.*
*Hos mihi ſervos ſociosq; latus*
*Parabo caſtis artibus.*
*Ne meas, ne fex colat atra ſedes*
*Intenta cæcis fraudibus,*
*Quas tero, nunquam veterator ædes*
*Terat ſceleſtis calcibus*
*Impios omnes; ſimul allubeſcet,*
*Meis fugabo finibus.*
*Sic, procul cunctis vitiis, niteſcet*
*Vrbs ſancta ſanctis moribus.*

## *PSAL. CII. Domine exaudi orationem, &c.*

Quos vexat Babylon, Deus eſt his ſolus
aſylon,
Inque locis tutis, locat in portuque ſalutis.

*ATtende, clemens Iova, clamori meo*
*Cum clamo, ſupplico, fleo.*
*Vultu ſereno, cum premor, me reſpice,*
*Celerq́; vota perfice.*
*Nam more fumi tranſeo, corpus meum*
*Humoris expers, junceum.*
*Fæni, vel uſti torris inſtar, arui,*
*Fameq́; totus tabui.*
*Cutis gementu atq; victi fletibus*
*Vix hæret ægris oßibus.*
*Sum ſolus, inſtar Coccygis, ceu noctua,*
*Deſerta ſervans ardua.*
*Vt paſſer altis ſolus in tectis vigil:*
*Sic excubabam pervigil.*
*Cum me ſceleſti luce totâ luderent,*
*Modisq́; diris læderent.*
*Panemque pulvis temperaret cum meum,*
*Potúmq; fletus felleum.*
*Malis gravavit ira me tantis tua,*
*Cùm ſede pellor arduâ.*
*Vt umbra, quæ mox diſperit, paulùm fui,*
*Vt gramen aret arui.*

*At tu perennis es parens eſſentiæ*
*Et ſempiternæ gloriæ.*
*O ſurge tandem, tempus eſt, Sioniæ*
*Iuua, Iehoua, mœnia.*
*Recolligantur ſparſa latè rudera,*
*Regum fauente dexterâ.*
*Cunctis ut unus ſis timori gentibus*
*Terraq; regnis omnibus.*
*Deus Sionem cum locabit denuo,*
*Decore clarus in ſuo.*
*Cum uota lenis audiet gementium,*
*Humiq; ſe ſternentium.*
*Inſerta chartis hæc erunt fidelibus,*
*Seris melos nepotibus.*
*Suo quòd ultrò de throno deſpexerit,*
*Domóſq; noſtras uiderit.*
*Vt compeditos & gementes ſolueret,*
*Vitæq; dulci redderet.*
*Quò liberati nomen efferant Dei,*
*In ædibus ſacris ei.*
*Tunc colligentur regna, ſeruiant Deo*
*Vtritè cultu thureo.*
*Quamuis ſub ipſo flore me ſucciderit*
*Breuemq; uitæ fecerit.*
*Dixi; repentè cur tibi ſum buſteus*
*Cum tu perennis ſis Deus?*
*Prior, quod autor ipſe fundaſti, ſolo*
*Prior ſalo, prior polo.*
*Sed illa tempus, more ueſtis, atteret,*
*Nouamq; formam conferet*

*Tu ſemper idem permanes, anni tui*
*Nulli patent defectui.*
*Hujus futuri ſunt (& ô ſint) æmuli*
*Tui fideles ſervuli.*

## PSAL. CIII. Benedic anima mea, &c.

Mira Dei bonitas! tanti illos tantus honorat,
Hinc meritò talem, quodcunq; creavit, adorat.

*IEhovam cane mens frequensq; cordis,*
*Illum fibra decem ſonato chordis.*
*Iehovam cane mens, memor datorum,*
*Hic quæ mille tibi dedit bonorum,*
*Qui te propitius ream tuetur,*
*Languoriq; tuo bonus medetur.*
*Qui mirâ bonitate te coronat,*
*Qui vita tibi penſa longa donat;*
*Qui votis tibi plura dat, priorem*
*Inſtaurans, aquilæ velut, vigorem.*
*Injuſtis gravis ut ſeveritate,*
*Sis preſſis patris inſtar æquitate:*
*Moſi tradidit ille jura vati,*
*Queîs utantur ab Iſraële nati.*
*Iraſci piger hic, in æquitatem*
*Pronus fertur, & in benignitatem.*
*Nullum perpetuò furit furorem*
*Sed juris reprimit pater rigorem*
*Nec pœnâ parte cuncta facta plectit*
*Ad culpas ubi lumen acre flectit.*

*Cœlo gratia celſior ſupremo*
*Eſt, quà nos fovet hic in hac eremo.*
*Ortus diſtat ab occidente quantum,*
*Nobis diſcidit acta noſtra tantum,*
*Vt proli pater eſt malum merenti,*
*Sic turba bonus ille pœnitenti.*
*Novit quippe, quòd ex humo creati*
*Simus mole mali malâ gravati,*
*Scit, quòd noſtra ſit iſta vita fœnum,* fœnum
*Et floris modicè decus ſerenum.*
*Flat ventus, pereunt repentè flores,*
*Natiues pereunt ſoli colores.*
*Non ſic eſt bonitas Dei, verentem*
*Cœleſtum, fovet hic perennè gentem,*
*Quæ pacti memor, editaq́ legis*
*Summi juſſa facit verenda regis,*
*Regis, cui ſolium polus, jacentes*
*Terris unde gubernat ille gentes.*
*Ipſam laudibus Angeli ſonate,*
*Iuſſis ordo Dei vacare nate,*
*Cœleſtes Dominum ſonate mentes,*
*Sub ſignis ſuperi ducis merentes.*
*Omnis terra, creata cuncta latè*
*Rerum cælicolum patrem ſonate.*

*PSAL. CIV. Benedic anima mea, &c.*

Polo, ſolo ſaloq́; paginis tribus,
Natura monſtrat numen ingens viribus.

TE Deus alme canam, factorum laude potentem,
Et majeſtatis rutilante decore nitentem.
Lux veſtis tibi pura, nitens, pro tegmine veli
Suſpiciendus habes rutilis tentoria cæli.
Vnda tabernaculum, nubes tibi denſa jubenti
Currus, at emiſſi tua ſunt talaria venti.
Legati tibi ſunt chorus aliger, & leve fulmen
Cum fulgore ruens tonitruq́; ſuper grave culmen.
Cujus jeciſti fundamina, conſtanter ſtat
Terra tuo nutu, quæ lymphis altior extat.
Illa prius certos ignorans horrida fontes,
Per magnos undæ paſſim fuit obruta montes.
Hi tamen, ut ſonuit tua vox, fugêre volentes
Adq; tuum tonitru trepide ceſſere paventes.
Et terra colles tunc emicuêre frequentes,
Atq́; ſub his valles paſſim nituére virentes.
Et pelago certas poſuit tua dextera metas,
Ne ſegetes valido fluctus premat impete lætas.
Tu liquidos aperis ducisq́; per invia fontes,
Per mediosq́; facis decurrant flumina montes:
Inde ſitim ſedat pecudum genus atq; ſerarum,
In quibus eſt Onager vivarum latus aquarum.
At verò volucres circum ſupraq́; frequentes
Nidificant, luctuq́; levant loca ſola canentes.
Tu liquidas lymphas de montis vertice fundis
Tu ſola fæcundas latè pluvialibus undis.
Hinc bene jumentis paſſim ſua prata vireſcunt,
Arvaq́; frumentis herbisq́; decora niteſcunt.
Hinc panis reparat vires, hinc nubila mentis
Vis olei fugat, & vim flos ſuavè rubentis.

*Hinc arbor campi ſuccum petit, alta, nitentis,*
*Hinc cedrus in Libani læto ſita monte virentis.*
*Hinc avium nidi; peregrina Ciconia gratos,*
*Nutrit ibi, celsâ reſidens ſuper abjete, natos.*
*Damis ſunt montes, at rupis Echinus aperta*
*Antra colit, ſedis latebris gaudétq; reperta.*
*Per te Luna micat, per te mutatur in horas,*
*Heſperias, per te procul ortu tendit ad oras.*
*Per te nox luci ſuccedit operta tenebris,*
*Tunc fera prorepit, prædæ ſtudioſa, latebris.*
*Tunc leo rugitu ferit æthera, pabula quærens,*
*Et te mugitu rogat eſca munera mærens.*
*At, ſimul orta dies, repetit ſua luſtra repentè*
*Hinc ubi læta quies tenet illum luce nitente.*
*Interea ſubeunt homines genus omne laboris*
*Inde domum redeunt, cum certis nox venit horis.*
*O quam multa Deus, nobis das dives egenis!*
*Quæ tellus fæcunda focis oſtentat amænis.*
*Quid memorem magni vaſtum maris æquor? in illo*
*Monſtra natant; grandes ludunt cum piſce puſillo.*
*Illic propoſita navis petit oſtia metæ,*
*Illic facta tibi ludunt immania cete.*
*Quid multis? quod adhuc longo fuit ordine dictum*
*Indictumq; rogat te, te, pater optime, victum.*
*Te largam pandente manum ſaturata niteſcunt,*
*Atq; rigata tuæ bonitatis fonte vireſcunt.*
*Te vultus condente ruunt turbata repentè,*
*Atq; cinis fiunt te flatum ſurripiente;*
*Quem ſimul ac reddis repetunt recreata nitorem*
*Tunc humus omnis habet veterem renovata colorē*

*Hac Domini perpes ſit gloria cuncta regentis*
*Et, quodcunq́; facit, vel fecit, ubiq́; foventis.*
*Illius ad vultum tellus tremit agra pavore,*
*Illius ad tactum mons fumat inerte vapore.*
*Hunc ego, dum vivo, Cytharâ reſonante ſonabo,*
*Hunc ego, dum ſupero, pſalmis in vota vocabo.*
*Illum (ſi nobis facili bonus aure vacabit)*
*Delicias mea mens, ſua gaudia Muſa, vocabit.*
*Impietas exciſa ſolo ſcelerata prematur:*
*At Deus à nobis, uti dignus, laude vehatur.*

## *PSAL. CV. Confitemini Domino, &c.*

Dat ſuis quam multa gratis, Quamq́ue
magna rex poli!
Vult tamen, quibus beatis Eſſe dat, ſan-
cte coli.

E*la numen invocate*
*Atq́; nomen prædicate*
*Cales omnes per tribus.*
*Dulcibus pſalmis vacantes*
*Et Dei veſtri ſonantes*
*Mira raris laudibus.*
*Laus Deus ſit veſtra, plaudant*
*Quotquot eius facta laudant,*
*Geſtiantq́; gaudio.*
*Ite viſuri parentem*
*Cuncta ritè dirigentem*
*In ſuo palatio.*

*Mente quæ fecit, tenete,*
*Scita, quæ ſcivit, docete.*
*Atq; iura mitia.*
*Vos Abramo patre nati,*
*Vos Iacobo procreati,*
*Lecta gens ad talia.*
*Iova noſter rex Deusq;,*
*Ille rerum ſolus uſq;*
*Regnat æquus arbiter.*
*Cernitis per ſecla mille*
*Fœdus ut promiſſor ille*
*Servet ictum firmiter.*
*Abrahamo ritè pactum*
*Et ratum deinde factum*
*Abrahami filio.*
*Hinc Iacobo (qui fidelis*
*Dulce nomen Iſraëlis*
*Nactus eſt auſu pio.)*
*Hanc (ait) terram tenebis*
*Hos tibi fines habebis*
*Chananea fertilis.*
*Turba quamvis tum puſilla,*
*Exul, errans, eſſet illa*
*Viribusq; debilis.*
*Paſſa tot calamitates*
*Ambulans per civitates*
*Perq; fines gentium.*
*Huic tamen nemo nocebat,*
*Nam Deus ſuos fovebat*
*Vim coërcens hoſtium.*

*Ne n eis (ait) Prophetis*
*Aut inunctis damna detis*
*Impiis conatibus.*
*Cum fames orbem gravaret,*
*Et cibum tellus negaret*
*Squalidis cultoribus,*
*Sæva proles Iſraëlis*
*Filium pulchræ Rachelis*
*Vendidit mangonibus.*
*Hic ubi, quæ paſſus ille!*
*Triſte ferrum, fata mille,*
*Mille preſſus caſibus.*
*Ora ſed ſimul reſolvit*
*Docta, regiumq; ſolvit*
*Arte mirâ ſomnium.*
*Vinculis emancipatur,*
*Et potentis evocatur*
*Regis in palatium.*
*Qui fuit vilis miniſter,*
*Fit potens aulæ magiſter,*
*Atq; princeps regiæ.*
*Principes docet regendo,*
*Et ſenes regit docendo*
*Vim novam prudentiæ.*
*Interim Memphin fidelis*
*Gens ſubintrat Iſraëlis*
*Hoſpes in Chami ſolo.*
*Hîc ubi poſtquam vireſcit,*
*Et magis magisq; creſcit*
*Hoſtium patet dolo.*

*Qui furore concitati*
*Dura diri penſa fati*
*Iſraëli cogitant.*
*Ergo Moſes, atq; Moſis*
*Frater, hoſtis copioſis*
*Caſtra ſignis territant.*
*Nam quod hi duo jubebant,*
*Incolæ miro ſtupebant*
*Effici conamine.*
*Atra nox vehens nigrorem*
*Suſtulit lucis nitorem*
*Sic jubente numine.*
*Unda fit ſanguis, profundis*
*Squammeos piſces ſub undis*
*Peſtis aufert noxia.*
*Terra ranas proferendo*
*Huiq; cuncta polluendo*
*Tecta fœdat regia.*
*Muſca mox, & ſqualidorum*
*Agmen it pediculorum*
*Pingue vexantum pecus.*
*Æſtibus tellus rigeſcit*
*Grando ſævit, ipſe neſcit*
*Campus antiquum decus.*
*Vineæ ſqualent jacentes*
*Arbores horrent carentes*
*Frondes, flore, fructibus.*
*At nova peſtes deinde*
*Hinc locuſtæ, bruchus inde,*
*Cuncta fœdant morſibus.*

*Devoratur omnis herba,*
*Non tamen Pharos ſuperba*
*Ponit altos ſpiritus.*
*Ergo, quæ fuére nata*
*Primulum, flentur necata,*
*Et reciſa ſtirpitus.*
*Dives hinc auro nitensq́;*
*Iſraëlis gens valensq́;*
*Deſerit Peluſium.*
*Quam Pharos videns abire,*
*Læta ſortis fine diræ*
*Voce præfert gaudium.*
*Interim nubes nigreſcens*
*Luce, nocte lux niteſcens*
*Ductitat ſervos Dei.*
*His coturnix miſſa caſtris*
*Atq; depluens ab aſtris*
*Maſſa panis mellei.*
*Rore petra ſudat udo,*
*Quà patebat ſolitudo*
*Sicca, jam rivus fluit.*
*Nam memor Iehovæ pacti,*
*Iſaci cum patre facti,*
*Eſt, uti ſemper fuit.*
*Ergo, quem lectum vocavit,*
*Iſraëlem liberavit,*
*Et replevit gaudio.*
*Huic dedit tenere, gentes*
*Quod tenebant inſolentes*
*Parta niſu proprio,*

*Vt, bonis harum beatus,*
*Iuſſa praſtaret, dicatus*
*Numini ſemper pio.*

## PSAL. CVI. Confitemini Domino, &c.

Vim precum mirare miram!
His Dei moramur iram.

*NVmen, gens pia, dicite*
*Demto fine bonum carminis alite*
*Quanquam, quod ſatis os Deum,*
*Illiusq; canat robur aheneum.*
*Fælices ter & amplius*
*Ardor iuſtitiæ quos agit acrius.*
*Hoc ô me quoq; da frui*
*Quem ſervas, populi pars uti ſim tui*
*Vt carpam nova gaudia,*
*Cum ſanctisq; fruar cælite gloria.*
*Quæ non fecimus actu?*
*Cum noſtris patribus nequiter impii.*
*Hi videre, quid egeris,*
*Et qua Niligenas clade repreſſeris.*
*Vires numinis exerens,*
*Splendoremq; tui Nominis aſſerens.*
*Te ſiccante rubrum fretum*
*Stabat, lympha tuæ vocis ad impetum.*
*At grex latus opis pius*
*Excedit Pharius finibus ocyus.*
*Hoſtes intereà citis,*
*Abſorbentur aquis (haud mora) gurgitis,*

Quod

*Quod gens ſancta, fidem Deo*
*Addens, commemorat carmine melleo.*
*Sed mox immemor omnium*
*Spernit conſilium Numinis obvium.*
*Exardénſq; cupediis*
*Tentat ſtulta Deum motibus avtis.*
*Et jam nacta cibi ſatis*
*Fit tandem dapibus macra magis datis.*
*Tot perpeſſa tamen cruces*
*In fidos etiam probra jacit duces.*
*Ductores ibi criminis*
*Tellus ſorbet hians terrificis minis.*
*At flamma reliquos cremant*
*Ne ſtultum ſtolidè propoſitum premant.*
*Pars conflant vitulum Deum*
*Proſtratiq́; iacent Numen ad aureum.*
*O inſania! pro Deo*
*Sternunt ſe vitulo turpiter aureo,*
*Obliti cito Numinis*
*A Nili quod eos aſſeruit minis.*
*Linquentes rabiem Phari,*
*Ad nutum Domini ſtante rubro mari.*
*Flevíſſentq́; : ſed à nece*
*Moſes hos rapuit ſollicita prece;*
*Hi pergunt tamen, & polum,*
*Promiſſumq́; petunt ludibriis ſolum*
*Paßim Numina vocibus*
*Rodunt; tota fremunt caſtra tumultibus.*
*Hinc dextram Deus apparat*
*Per deſerta malos perdere qua parat.*
*In multis regionibus*
*Vexandos jaculi grandine gentibus.*

Hi rurſus tamen impias
Ad ficti redeunt Numinis hoſtias.
Hinc irâ Dominus fremens
Sævit, crimen atrox mille malis premens.
Quæ Zelus Phineæ pius
Siſtens in ſcelus hoc vindicat acrius
Quo juſtæ necis impete
Per gentes colitur nomine perpete
Rurſum quà Meribe fluit
Moſes, quod populus perpetrat, eluit.
Imprudenter enim tribus
Verbis alloquitur laudis egentibus.
Gentes præterea truces
Effrenis tulerant nequitiæ duces.
Dum flammis ſtimulantibus,
Exardent in eas turpibus ignibus.
Flexo poplite ligneis,
Quos vani populi ſculpſerat ars, Deis.
His crudeliter hoſtias
Mactant (heu thalami pignora) filias.
Et jam ſancta frequentium
Horret terra nigro ſanguine cædium,
Commentis male fortium
Idolisq; (nefas) dedita gentium.
Proin iras Deus induit
Dirum ſupplicium cui vaga gens luit.
Paßim dedita gentibus,
In prædam rabido Marte ferocibus.
Heu quæ tum mala pertulit!
Cui, cum ſæpe Deus fautor opem tulit.

*Huic ingrata ſubarduis*
*Rebus, conſiliis freta fuit ſuis.*
*Ejus Iova tamen preces*
*Exaudit, miſeras & ejiciens neces,*
*Vt qui divite gratiâ*
*Sit præſtare memor pacta fidelia,*
*Inflectensq; cor omnium,*
*In quorum manicis germen erat pium.*
*Idem nos quoq; libera*
*Vt te noſtra vehat lingua ſub æthera.*
*Iovæ gloria jugiter:*
*Dicat vox populi cuncta ſuaviter.*

## *PSAL. CVII. Confitemini Domino, &c.*

Æterna providentia,
Calamitoſis obvia.

*CAntemus Dominum, pium parentem,*
*Omnes munificâ manu foventem.*
*Cantent, quos gravis hoſtis ira cepit,*
*Captos quòd Dominus potens recepit.*
*Cantent quatuor è plagis vocati,*
*Et tandem placido ſolo locati.*
*Errabant loca ſolo pervagantes,*
*Et nuſquam requiem ſibi parantes.*
*Latrantem ſtomachum fames necabat,*
*Latex nullus eis ſitim levabat.*
*Clamabant; Deus hauſit aure threnos,*
*Exemitq; malis potens egenos.*
*Monſtravit quoq; poſt calamitates*
*Quas poſſent habitare civitates.*

Lau-

*Laudent ergo Deum bonum parentem,*
*Illiúſq; canant manum potentem.*
*Nam mæſtis animis ſitim levavit*
*Et, quos preſſit atrox fames, cibavit,*
*Quando ſub tenebris manúq; mortis*
*Dura pertimuêre fata ſortis.*
*Nam ſprevêre pias Dei monentis*
*Leges, conſiliúmq; conſulentis.*
*Ergo cor cruce contudit ſuperbum,*
*Fatum ferre malos jubens acerbum*
*Clamabant, Deus hauſit aure threnos,*
*Exemitq; malis potens egenos.*
*Rumpens vincla manu tremenda forti,*
*Fecit regna truci minora morti.*
*Laudent ergo Deum bonum parentem,*
*Illiúſq; canant manum potentem.*
*Doctam rumpere ferreas catenas,*
*Portarúmq; fores, graves, ahenas.*
*Stulti mancipium gula voracis*
*Sortis damna tulere pertinacis.*
*Ad cibi genus omne nauſeantes,*
*Et lethum ſibi proximum notantes.*
*Clamabant: Deus hauſit aure threnos,*
*Exemitq; malis potens egenos.*
*Et verbo medico malum levavit,*
*Deq; carcere mortis evocavit.*
*Laudent ergo Deum bonum parentem,*
*Victorisq; canant manum potentem.*
*Vera munera laudis offerentes*
*Et feſtis Dominum modis canentes.*

Tum

*Tum qui per mare puppibus volantes,*
*Merces mille parant negociantes,*
*Quæ ponti ſpeculantur in profundo*
*Summi facta Dei ſtupenda, fundo!*
*Vix edixit, & horridis procellis*
*Plangunt littora fluctuumq́; bellis.*
*Nunc cælum petit unda, nunc dehiſcit,*
*Nautum corda pavent, genu tremiſcit.*
*Nutat pes, velut ebrii, labando,*
*Naucleri nihil ars agit iuvando*
*Clamabant: Deus hauſit aure threnos*
*Exemitq́ue malis potens egenos.*
*Qui iuſſit tumidos ſilere fluctus,*
*Mandavitq́ue graves abire luctus.*
*Tunc, qui perdoluére navigantes,*
*Portum lætitiæ vident ovantes.*
*Laudent ergo Deum bonum parentem,*
*Illiúſq; canant manum potentem.*
*Huic cantent melos, inſerantq́ue cedris*
*Vulgus inter, & in ſenum cathedris.*
*Deus crimina puniens malorum,*
*Exſiccat fluvii vadum ſonorum.*
*Proventúque ſuos beare ſueta,*
*Infæcunda facit roſeta læta.*
*At contrà ſteriles agros inundat,*
*Sudores ubi pauperum ſecundat.*
*Illi per Domini benignitatem*
*Concurrunt, ſtatuúntque civitatem,*
*Hîc illis ager almus exaratur,*
*Illic vinea vitibus paratur.*

*Inca-*

*Inceptum favor adjuvat Tonantis,*
*Cultores avidos bonis beantis.*
*In paucis tamen exeduntur annis*
*Sævis quando premuntur à Tyrannis.*
*Nam punit tumidos Deus domando,*
*Et per ſqualida teſqua diſsipando.*
*Interim legit & levat miſellum,*
*Multa prole tori beans popellum*
*Quod cernens, ut ovat cohors piorum;*
*Sic confunditur agmen impiorum.*
*Ecquis eſt ſapiens ut hæc revolvat,*
*In laudemq́ue Tonantis os reſolvat?*

## *PSAL. CVIII. Paratum cor meum, &c.*

Dei canatur æquitas,
Tenaxq́; pacti veritas.

*MEns mea prona Deus te dicere barbyto ſonorâ*
*Te voce prompta proſequi canorâ.*
*Eja procul curas age mens mea, manè perſonando*
*Lyráq́ue dulci dulce concrepando.*
*Te populis pandam Deus optime, te patrem ſonabo,*
*Tuasq́ue laudes ritè prædicabo.*
*Nam tua ſe cælos ſuprâ tulit æquitas micantes,*
*At veritas nubes ſuprà nigrantes.*
*Aſſerito caram gentem tibi dextera potenti,*
*Morti petentem ſubtrahens furenti.*

Audii

*Audiit hæc Dominus: Sichima mihi iam roſeta cedunt*
*Iam ſe Suchoti vallis ima dedunt.*
*Manaſſes cum fratre meo mihi ſunt columna Martis*
*Iudas duces dans rebus umbo partis.*
*Enſe Paleſtina Mavortia caſtra perdomabo,*
*Nec non Idumen cum truci Moabo.*
*In tàm firma tamen quis mœnia dux mihi præibit?*
*Quis irruentem me juvare quibit?*
*Quis, niſi qui dudum nos ob male facta diſſipabas,*
*Nec caſtra præſens noſtra ſublevabas.*
*O fer opem miſeris, hominum quia dextra nil ſalutis*
*Habet, tuis quo donet eſſe tutis.*
*Te duce certa manet nos laurea. Te ſimul videbunt*
*Hoſtes ſuperbi, proruti jacebunt.*

## *PSAL. CIX. Deus laudem meam, &c.*

Hic devovet Propheta Saulis aulicos.
Judam Redemtor, tu furores hoſticos.

L*Audis mea fax, ſplendor inſignis meus,*
*Ne mutus eſto, mi Deus.*
*Nam me doloſus mille prenſat fraudibus,*
*Hiantibúſq; faucibus,*
*Et immerenti fabricat moleſtiam,*
*Vibratq; linguam noxiam:*

Ingra-

In gratus odit diligendum, mitibus
Flecti repugnat vocibus.
Amara noſtro dans amori præmia,
Bonis rependit noxia.
Ob hac Tyrannis ſubſit ô crudelibus,
Sævisq; vaſtatoribus.
Causà cadat, cum litigabit, vindicem
Nec voce flectat iudicem.
Vita brevis ſit, ejus alter munia
Et alta prenſet atria.
Illius illum ploret uxor mortuum,
Patremqúe liberi ſuum.
Errent ſtipem quærendo, patrio lare
Pulſi, ſecent vaſtum mare.
Rem fœnerator prenſet; inſtet arculis
Ignotus hæres ſingulis.
Nemo ſit ipſi, nemo rebus aſperis
Ejus patronus liberis.
Cadant repentè, vixqúe monſtratos citus
Excindat omnes excitus.
Patrata patris atq; matris eluant,
Probrúmq; turpes induant.
Cæcâ tegantur nocte, tanquam noxii
Patris nocentis filii.
Potens egenos qui ſuperbè preſſerit,
Lethóq; triſti merſerit.
Odit ſalutem, qua ſceleſtum deſerit,
Diras amavit, queîs perit.
Imbutus execrationibus fuit,
His turpe corpus induit.

*Hæc Veſtis ejus, hic color, quo tingitur,*
*Hæc Zona, quà præcingitur.*
*Sic præmium ſit, atq; merces omnibus*
*Mea ſalutis hoſtibus.*
*Parens benigne, libera me, libera,*
*Vt te feram ſub æthera.*
*Pauperculæ ſunt res meæ, tota die*
*Cura cor urunt anxia.*
*Vt umbra, Sole jam cadente, langueo,*
*Et, ut cicada, tranſeo.*
*Iejunio pes victus atro ſuccidit,*
*Pinguedo tota decidit.*
*Dum me maligna lancinat convitio,*
*Caputq; nictat, factio.*
*Serva Iehova me clientem, patriâ*
*Benignus indulgentiâ.*
*Ferant ut omnes illa dextera tua*
*Accepta ductor ſtrenue.*
*Hi devovebunt, tu beabis me bonis,*
*Gratis quod efferam ſonis.*
*Hoſtes tegente ſic meos infamiâ,*
*Vt longa corpus pallia.*
*Tunc in frequenti plebe te patrem pium,*
*Meum ſonabit nablium.*
*Pauperculo quòd advocatus veneris,*
*Et eius hoſtes fuderis.*

*PSAL. CX. Dixit Dominus Domino, &c.*

Fines in omnes regna Chriſtus protulit,
Suoſq; cunctos unus hoſtes perculit.

AD meum dixit Dominum Deorum
Rex, dexteram claudas meam,
Dum pedum ponam properè tuorum,
Gentem ſcabellum ferream.
Arduæ tectis procul à Sionis.
Quæ ſceptra geſtas, proferam.
Omnis ut virtus tua nationis,
Varam retundat dexteram.
Cum feres greſſum, celebri tropæo
Novisq; lætus plauſibus.
Grex tuus gaudens Domini brabæo,
Vt ros niteſcet veſtibus.
Nam ſacramento Dominus polorum
Promiſit, & non abnuit:
Tu ſacerdos perpes eris meorum,
Vt Melchiſedecus fuit.
Ad tuam dextram Dominus potenter,
Adſtabit orbis arbiter.
Quiq; te pulſum cupiunt furenter,
Franget Tyrannos fortiter,
Cædibus complens loca cuncta latè,
Omnes rebelles comprimet,
Et duces gentis maleferiatæ,
Severus ultor opprimet,
In via torrente ſitim fugabit,
Fugam premens palantium.
Arduum victor caput hinc levabit,
Turmis ſubactis hoſtium.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0222-5

## PSAL. CXI. Confitebor tibi Domine, &c.

Facta Numinis ſtupenda,
Arte carminis canenda.

*TE corde toto ſumme canam Deus,*
*Tu vox & omnis plauſus eris meus,*
*Frequentis in cœtus corona,*
*Mira Dei celebrabo dona.*
*Quàm multa fecit dextra potens Dei!*
*Quàm magna! nervi quid facitis mei?*
*Hæc noſſe quin deſideratis,*
*Quîn calamo facili notatis.*
*O mira miræ facta potentiæ!*
*O glorioſæ magnificentiæ!*
*O æquitate temperata:*
*Acta! perennè nitere nata.*
*Hæc illa diæ pignora gratiæ,*
*Hæc prædicandæ ſigna potentiæ*
*Quæ nulla non ætas ſuorum,*
*Inſeret harmoniis modorum.*
*Deus ſupernum numen amantibus,*
*Legisq; ſancta iura timentibus*
*Eſcas dedit, memor peracti*
*Cum patribus populoq; pacti.*
*Idem quis eſſet robore prodidit,*
*Genti ſuorum cum bona tradidit,*
*Erepta turba, ligneorum*
*Quæ coluit ſtatuas Deorum.*
*Quæ Iova dicit, vel facit, æquitas*
*Sunt ipſa juris, nudaq; veritas,*

*Quæcunq; mandat, æquitate*
*Temperat, atq; ſeveritate.*
*Quodcunq; ſanxit jugiter aſſerit,*
*Nil hîc vetuſtas invida deterit*
*Vt recta ſunt, ut vera, durant*
*Livida ſic nihil ora curant.*
*Deus ſceleſtis eſt populis tremor;*
*Pactiq; nunquam fœderis immemor*
*Pios ſibi legit, tegitq;:*
*At reprobos quatit obteritq;.*
*Deum vereri fons ſapientiæ,*
*Primúmq; vitæ principium piæ,*
*Sic qui ſapit, felix feretur,*
*Perpetuúmq; bonis canetur.*

## *PSAL. CXII. Beatus vir qui timet, &c.*

Qui mirare Deum, factis imitare benignum,
Sic felix eris, ut germen fremat uſq; malignum.

*Felix qui Dominum colit timendo*
*Mandantiſque vias piè terendo,*
*Semen illius in ſolo vireſcit,*
*(Nam pii ſoboles perire neſcit)*
*Ædes divitiis ſuas replebit,*
*Et recti ſtudio pio virebit.*
*Cernet in tenebris nitere lumen,*
*Sic tutò dabit eſſe mite Numen!*
*Vt qui pauperibus ſit ipſe mitis*
*Æquus, commodus, arbiterq; litis*

Com-

*Conſtans jugiter, inſcius moveri,*
*Nec ſera patiens die taceri.*
*Non convitia lividi timebit,*
*Sic ſpem, pendulus à Deo, fovebit!*
*Firmo pectore cuncta ſuſtinebit,*
*Hoſtes donec augi ſuos videbit.*
*Iuſtus, largus opum, potens, beatus,*
*Diſperget ſua pauperi rogatus.*
*Hac fruſtra fremet invidus videndo*
*Flacceſcensq́; maceſcet invidendo.*

## *PSAL. CXIII. Laudate pueri Domi: &c.*

Cunctas qui regit adſpicitq́; gentes,
Elatos premit, allevat jacentes.

*CÆlitis fidi Domini miniſtri*
*Rerum parentem tollite,*
*Nomen, & magni ducis ac Magiſtri*
*Cantu ſonoro prodite,*
*Sit Dei nomen ſuper aſtra notum*
*Cunctis in orbis angulis,*
*Nulla vox illud taceat nepotum,*
*In ſeculorum ſeculis.*
*Occidens quâ Sol oriensq́; gentes*
*Spectat ſereno lumine,*
*Concinant nomen Domini frequentes*
*Inuſitato carmine.*
*Nam Deus noſter Dominus ſupremus,*
*Eſt axe cæli celſior,*
*Atq; quos terra populos eremus*
*Fert, univerſis clarior.*

*Quem Deo, quaeſo, dabit ipſa mundi*
*Parem triformis machina*
*Cui licet cæli nimium profundi*
*Sint alta ſedes culmina.*
*Cælitus terras tamen in patentes,*
*Vultu ſereno deſpicit,*
*Resq́ſub cælo per humum jacentes,*
*Bonus favensq́ reſpicit.*
*Ille, quem temnit populus jacentem*
*Humiq́ fuſum negligit.*
*De fimo turpi levat immerentem,*
*Manumq́ præbens erigit.*
*Vt duces inter populi beatus*
*Honore primo fulgeat,*
*Inq́ ſublimi ſolio locatus,*
*Livore flente, gaudeat.*
*Arbiter rerum ſteriles parentes,*
*Auget iugali pignore,*
*Vt ſuam coràm ſobolem videntes*
*Lætentur omni temporè.*

## *PSAL. CXIV. In exitu Iſraël de Ægypto, &c.*

Non mons, non flumen,
Remoratur, non mare, Numen.

*CVm gens Iſacidum corriperet viam,*
*Et ſecura Pharon linqueret impiam,*
*Ad dulcis remeans limina patriæ*
*Iuſſa curriculo viæ.*

E cunctis

*E cunctis Dominus quem ſibi legerat*
*Iudam propitio numine texerat,*
*Iacobi ſobolem fortiter aſſerens*
*Et, qua pollet, opem ferens.*
*Illud ſalſa videns unda refugerat,*
*At Iordanis aquas in caput egerat,*
*Oblitúſq́ ſuam tunc refluus viam*
*Ibat devius aviam.*
*Montes cum trepidis collibus (haud ſecus*
*Ac pratis ſaliens lanigerum pecus)*
*Motabant trepidi celſa cacumina*
*Ad præſentia Numina.*
*Cur ponti refluens unda refugeras?*
*Cur Iordanis aquas in caput egeras?*
*Oblitúſq́ tuam cur refluus viam*
*Ibas devius aviam?*
*Montes cum trepidis collibus (haud ſecus*
*Ac pratis ſaliens lanigerum pecus)*
*Motaſtis trepidi celſa cacumina*
*Ad præſentia Numina.*
*Ad vultum Domini, qui ſubigit polum,*
*Nequicquam ſolidum contremuit ſolum.*
*Iacobi ſoboles tuta Deo fuit,*
*Qui Nili vada terruit.*
*Qui ſtagnantis aquæ flumina ſufficit.*
*Et fontes ſolidis rupibus elicit.*
*Summo fide Deo, qui ſapis: invia*
*Vero nulla Deo via.*

*PSAL. CXV. Non nobis Domine, &c.*

Viciſti: Domino Soli, dic, gloria, vanus
Ad ſtatuas volvi gentes rideto prophanas.

*TVa gloria gratia niteſcat,*
*Deus, noſtra pudore frons rubeſcat,*
*Ne gentes blaterent: ubi fidelis*
*Nunc eſt ille patronus Iſraëli?*
*At is regna poli tenet, regitq́;*
*Et quicquid lubet, hoc jubet, facitq́;.*
*At gentes ſtatuas leves adorant,*
*Quas auro manibus ſuis colorant,*
*Os habent, ſed eo nihil loquuntur,*
*Nil cernunt oculis, quibus fruuntur.*
*Nullos auribus hauriunt ſonores,*
*Nullos nare cavâ trahunt odores,*
*Nec palpare manu, nec ambulare*
*Plantâ, gutture nec valent ſonare.*
*O ſint his ſimiles paresq́; gentes,*
*Stultè, quos faciunt, Deos colentes.*
*Tu Deum cole germen Iſraëlis,*
*Hic adjutor erit tibi fidelis,*
*Aronis domus hunc ama colendo,*
*Ille te teget & reget fovendo.*
*Deo fidite, qui Deum timetis,*
*Et tutos ſub eo dies agetis,*
*Iacobi Dominus domum tuetur,*
*Idem ſemen Aronis intuetur.*

Hunc

*Hunc quicunqꝫ Deum ſciunt vereri*
*Felices nimium queunt haberi.*
*Idem vos cumulo beet bonorum*
*Donans pignora multa liberorum.*
*Fortunet pia veſtra capta fautor,*
*Qui polumq́ꝫ ſolumq́ꝫ fecit autor.*
*Qui cælum ſibi legit incolendum,*
*At nobis poſuit ſolum tenendum,*
*Vt cantetur ibi modis piorum,*
*Qui non dicitur ore mortuorum.*
*Auras ergo, Deus, jube trahamus,*
*Quò te perpetuis modis canamus.*

## *PSAL. CXVI. Dilexi quoniam, &c.*

Vove; precare, dum furit ſors tetrica,
Liberq́; tandem mite numen prædica.

*PErennè toto corde diligam Deum,*
*Queſtum quòd audiit meum,*
*Aureſq́ꝫ flenti non gravatim præbuit,*
*Cum dira ſors inhorruit.*
*Iam jam trahebar fune mortis avius*
*Expes, egenus, anxius.*
*Ibi precatus, ah Deus, dixi, veni,*
*Meaq́ꝫ vita ſubveni.*
*Venit rogatus, atqꝫ ſubvenit, Deus*
*Fuitq́ꝫ protector meus.*
*Sic nempe tractat ille mites ſervulos,*
*Sic magnus ornat parvulos.*
*Tandem quieſce mæſta mens. Nam me meus*
*His eruit malis Deus.*

*A morte vitam liberans, à fletibus*
*Genas, pedesq; lapſibus.*
*Vivos ut inter vivus ipſi ſerviam,*
*Ejus renarrans gratiam*
*Deo quòd ultrò pollicenti credidi,*
*Hæc, cum gravarer, edidi:*
*Non eſt homo, cui tuta ſit res credere:*
*Soli Deo fas fidere.*
*Cui quid redono, mille donatus bonis?*
*Mæſtusq; defunctus ſontis.*
*Crucem, ſaluti quæ mea ſervit, feram*
*Deiq; nomen efferam.*
*Quæcunq; vovi, cum gravarer, omnia*
*In plebe præſtabo piâ.*
*Quàm ſit piorum cara mors noſtro Deo,*
*Docetur exemplo meo.*
*Sattum ſuâ me quando ſervat ſervulâ,*
*Ferrata rumpens vincula.*
*Ergo litabo gratus illi victimis*
*Præconiisq; plurimis.*
*Quæcunq; vovi, cum gravarer, omnia*
*In plebe præſtabo piâ.*
*In urbe Sancta, quà Dei domus piis*
*Pulchrè renidet atriis.*

## *PSAL. CXVII. Laudate Dominum, &c.*

Dei canatur æquitas,
Tenaxq; pacti veritas.

ORbis omnes ite gentes,
Per Dei laudes frequentes,
Et vacate dulcibus
Concentibus.
Prædicate veritatem
Ejus ac benignitatem,
Qua ſuos ſemper tegit
Fovet, regit.

PSAL. CXVIII. Cōfitemini Domino, &c.

Hoſte victo, caſtra noſtra
Quòd revertunt, ſolve σῶςρα.

COnfitemini faventem
Numinis clementiam,
Perpetim pios foventem
Terminiq́ue neſciam.
Dicat Iſraël: parentis
Cælitis clementia.
Vt benigna! permanentis
Vt vigoris conſcia!
Qui timet Deum potentem,
Gratus ejus patriam
Atque nunquam deſinentem
Prædicet clementiam.
Ille me malis gravatum,
Cum precarer, audiit,
Neu perirem, me locatum
Sede tutâ muniit.
Hoc patrono me tuente,
Fata vinco triſtia.

*Hoc meam cauſam fovente*
*Quid morer mortalia?*
*Arbitri cum me polorum*
*Firmat alma dextera:*
*Hoſtium ſpecto meorum*
*Damna lætus aſpera.*
*Tutius niti faventis,*
*Numinis clementiâ*
*Quàm ſolo faſces tenentis,*
*Principis potentiâ.*
*Vndiquaq; me frequentes*
*Impetunt hoſtes mei;*
*Sed dabunt pœnas, cadentes*
*Sub manu magni Dei.*
*Hinc & inde me prementes*
*Bella miſcent aſpera.*
*Sed dabunt pœnas, cadentes*
*Patris almi dexterâ.*
*Non opes magis frequentes,*
*Ignis haud magis citus*
*In rubo: ſed ſic potentes*
*Perdet ingens exitus.*
*Quid ſceleſte me maligne*
*Niteris ſubvertere?*
*Quos Deus fovet benignè*
*Quis poteſt elidere?*
*Hic mea vires, hic unus*
*Autor eſt vita mea;*
*Hac lyra tùm grande munus*
*Prædicabunt mellea.*

*Hoc idem juſti ſonabunt*
*In ſuis tentoriis,*
*Cum Dei dextram notabunt*
*Divitem victoriis.*
*Dexterâ (dicent) Tonantis*
*Facta fiunt qualia!*
*Dexterâ, quà parta tantis*
*Digna rebus gloria.*
*Non premar letho, ſed alma*
*Veſcar aura munere,*
*Ut tua Iehova palma*
*Facta poßim pandere.*
*Attigit me virga juſti*
*Patris, at non perculit.*
*Sed necem ſcrobemq́ue buſti*
*Triſtis à me depulit.*
*Ergo portas æquitatis*
*Iam mihi jam pandite,*
*Ut canam benignitatis,*
*Hunc parentem debitè.*
*Hæc Iehova porta grata*
*Porta juſtis pervia,*
*Improbos arcere nata,*
*Quos juvat vis impia.*
*Hîc Deum canam, quòd ille*
*Me prius ſtratum ſolo*
*Poſt acerba fata mille*
*Rurſus intulit polo.*
*Sic lapis quem fabricantes*
*Reppulêre nequiter*

*Angulos templi labantes*
*Suſtinet fideliter.*
*Hoc Deo factum jubente,*
*Quod ſtupeſcit mens pia*
*Cogitans verſansq; mente*
*Facta Iova talia.*
*O diem pulcram! ſupremus*
*Cujus eſt autor pater.*
*Hac Deo laudes ſonemus*
*Quisq; lætiter, quater.*
*O Deus Deus polorum,*
*Da ſalutis munera,*
*Da penu dives bonorum*
*Fata da ſint proſpera.*
*Adſit ô adſit bonus Rex,*
*Et beet nos largiter*
*Ejus id vobis ſacer grex*
*Comprecamur jugiter.*
*Cumq; vos bearit ille*
*Tàm paternâ gratiâ*
*Fronde victimiſq; mille,*
*Fumigent altaria.*
*Mi Deus, te mente, gratis*
*Te fatebor vocibus,*
*Te patrem benignitatis*
*Mille tollam laudibus.*
*Confitemini faventem*
*Numinis clementiam*
*Perpetim pios foventem*
*Terminiq; neſciam.*

## PSAL. CXIX. *Beati immaculati, &c.*

Mens nata cælo rumina verbum Dei,
Quo mille fructus exhibentur mellei.

### ALEPH.

*O Ter beatos! labe qui procul, piis,*
*Quas norma legum monſtrat, inſiſtunt Viis.*
*Quater beati dia toto pectore*
*Qui juſſa quærunt ſcire quoVis tempore;*
*Tales pudendis abſtinent ab artibus*
*Nec pura fœdant ſacra Vanis cultibus.*
*Parens beate, juſſa tu jubes tua*
*Vt quiſq́ mente ſeriò ſerVet ſuâ.*
*Ductor beate, ſic Viam regas meam,*
*Tuis ſtatutis ut modeſtè paream,*
*Ad quæ retorta cum tenebo lumina*
*Linguæ procacis Vana temnam fulmina.*
*Tibiq́, quòd me ſubmones ſalubriter,*
*Encomiorum Vota reddam jugiter,*
*Te ſemper æquum prædicabo liberè,*
*Tantum clientem me tuum ne deſere.*

### BETH.

*uram iuVentus quo facit Vitam ſuam?*
*i ſæpè legem cauta cogitat tuam*
*Hinc eſt, quòd ipſe te ſubinde quærito,*
*Vt erigas me, ſi labo, ſi ceſpito.*
*ris tui me paſcit eloquentia,*
*e fors aberrans multa tentem turpia.*
*ehende claris rector orbis laudibus,*
*uis moneri geſtitat mens legibus.*

Quæ-

*Quæcunq; dixit os tuum ter melleum,*
*Sermone grato cuncta pandet os meum.*
*Legis tuæ me certa teſtimonia*
*Plus quàm bonorum ſumma paſcit copia.*
*De te, tuisq; verba mandatis mea,*
*Quæ cogitat mens, nequid erret cerea.*
*Tua ſtatuta noſtra delectatio,*
*Hæc verſo, cæco vindicans ſilentio.*

GIMEL.

*Quodcunq; vitæ das adhuc ſervo tuo,*
*Tuis dicare juſſibus non abnuo.*
*Mentis meæ da ritè cernant lumina,*
*Legis tuæ quò mira cernam flumina.*
*Vt inquilinus in ſoli ſum vallibus,*
*Celare parce de tuis me juſſibus.*
*Vides, ut ægra mens dolorem vix ferat*
*Præcepta legis dum tuæ deſiderat.*
*At tu licet ſis hoſtis inſolentibus,*
*Fulmenq; ſancta jura convellentibus.*
*In me tamen fers dicta jactent ut ſua*
*Quòd uſq; ſecter iuſſa conſtanter tua.*
*In cœtibus me divites rodunt ſuis,*
*Dum de ſtatutis cudo ſermones tuis:*
*Tuæq; legis pacta dum veracia*
*Sunt norma nobis, atq; vera gaudia.*

DALETH.

*Stat in ſepulcro fracta luctu mens mea,*
*Tui Deus me luce verbi recrea.*
*Tibi precando prodidi meam viam,*
*Tu da viciſſim, quid velis, uti ſciam.*

*Legis tuæ da ſcita mira, poßim noſcere,*
*Vt, quæ patraſti mira, poßim prodere.*
*Vt cera, luctu mens liqueſcit anxia,*
*Tuâ ſed ægram recrea facundiâ.*
*Errore ferri ne ſinas in avia,*
*Tua ſed ad te legis ipſam duc via.*
*Huic inſtiti mox flore ſub puertiæ,*
*Hanc ſtat tenere perpetim menti piæ.*
*Tuis ſtudet mens noſtra teſtimoniis.*
*O ne ſinas me tot premi ludibriis.*
*Legum tuarum ritè decurri viam,*
*Hinc gaudio da ſempiterno geſtiam.*

## H E.

*Doce tuorum me ſtatutorum viam,*
*Vt hanc tenere, dum traho vitam, ſciam.*
*Tu luce mentis pectus iſtud imbue,*
*Vt legis ultrò jura defendam tuæ.*
*Da nil aberrem juris à tui viâ,*
*In qua tot ægro ſunt mihi ſolatia.*
*Cor flecte, veri quærat ut tui viam,*
*Non turpe lucrum, non levem pecuniam.*
*A vanitate quò reflectam lumina,*
*Legis tuæ me mira tangant fulmina.*
*Pacti tui me certa ſervet veritas,*
*Tuæ terentem legis arctas ſemitas.*
*Procul pudendis pone me ludibriis,*
*Tuis vides quem deditum ſententiis.*
*Hæc noſtra vota, noſtra delectatio*
*In æquitatis cælitis ſolatio.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0237-1

## VAV.

*Tuâ Deus mi, me fove clementiâ,*
*Verbóq; magna cui ſalutis copia.*
*Vt ora claudam me calumniantibus,*
*Meam tuis ſpem ſuſtine ſermonibus.*
*Legis tuæ me ne relinquat veritas,*
*Cujus perennè me tuetur æquitas.*
*Quæ jura ſancis, magne juris arbiter,*
*Da corde puro læta ſervem jugiter,*
*Et uſq; tendam regiâ tutus viâ,*
*Juris tui quà ſcita me ducunt pia:*
*Tunc diſſerentem de tuis ſermonibus*
*Non me pudebit ſtare coram regibus.*
*Nam quæ jubes, infixa cordi ſunt meo,*
*Hæc cura noſtra ſola ſunt, hæc ardeo:*
*Manus ad illa ſemper ambas dirigo*
*Hæc ſola verſo, diſco, pando, diligo.*

## AIN.

*Verbi memor ſis, ſis memor pacti tui,*
*In quo dediſti ſpe mihi firma frui.*
*Legis tuæ me recreat ſuavitas,*
*Hoc dira quando cor premit calamitas.*
*Lædor ſuperbis atq; lædor cætibus:*
*Sed à tuis haud flecto mentem legibus.*
*Tui rigoris in malos ſententia*
*Mihi dolenti præbuit ſolatia,*
*Quam cum premit plebs ſtulta, totus horreo,*
*Et, cara cordi, maceror, ſperni meo.*
*Tua ſtatuta cantilena ſunt mea,*
*Dum me vagantem ſors adurget ferrea.*

Tui recordor nocte ſerà nominis,
Intentus uſq; legis æternæ minis.
Hæc cura ſemper, hoc opus cordis mei
Statuta magni ſancta proſequi Dei.

## HETH.

Præclara (dixi) me beavit portio,
Tuæ, Deus mi, legis obſervatio.
Te corde toto ſum precatus gratiam
Pactamq; verbis in tuis clementiam.
Verbum tuum quà ducit, inſtitivias,
Pedem reflectens ad tuas ſententias.
Huc concitatis proruebam curſibus,
Parere promtus imperantis juſſibus
Ob quod licet ſim præda factus hoſtibus,
Tamen tuis hærebo conſtans legibus.
Hinc nocte ſerà ſuſcitatus erigor,
Tuæq; legis, pando, quantus ſit rigor,
Et concionem viſo te timentium,
Tuæq; legis vinculis gaudentium.
Tuâ, Ieheva, plena terra gratiâ,
Legis tuæ me jura perdoce pia.

## THETH.

Largè beavit me Dei benignitas,
Quam ſpondet alma nuda legis veritas,
Tuis Deus me diſciplinis imbue:
Nam ſcis habere me fidem legi tuæ.
Ibam, priuſquam ſum repreſſus, avius
Hinc, ſi qua mandas, cuncta ſervo firmius.
Parens benigne, fons perennis gratiæ
Legis tuæ da ſint mihi nota viæ.

*In me ſuperbi cogitant mendacia;*
*Legis tuæ me fac juvet cuſtodia:*
*Illis hebeſcit craſſa mens pinguedine;*
*Tuo meum cor in malis ſtat numine.*
*Decreta tota mente quò diſcam tua,*
*Monet movetq; me mali vis cernua.*
*Legis tuæ me plus juvat lux aurea,*
*Quàm juncta moles aureis argentea.*

## JOTH.

*Manus, Iehova, fabricârunt me tuæ,*
*Legis tuæ da jura ſecter ſtrenuè.*
*Pii videntes me beatum, geſtient,*
*Tuà levari luce cum me ſentient.*
*Novi, Deus mi, juſta quòd ſit lex tua;*
*Quod me fateri ſors adurget ardua;*
*In qua tuam da, mi pater, clementiam*
*Et veritatem pollicentis ſentiam.*
*Tua mihi fons dives adſit gratiæ*
*Vivamq; præco legis æternûm piæ.*
*Fleant ſuperbi cum dolis victi ſuis:*
*Ego ſtatutis verba nectam de tuis.*
*Recurrat ad me concitatis curſibus*
*Tuis ſtudere quisquis ardet legibus.*
*Tuis ſtatutis, labe purus, da regar*
*Genas rubore ne reus turpi tegar.*

## KAPH.

*Tuam ſalutem concupivit mens mea,*
*Verbi tui ſpe cuncta vincens fellea.*
*Legis tuæ me torſit eloquentia;*
*Hinc quando (dixi) ſentiam ſolatia?*

*Æſtu*

*Æſtu doloris, inſtar utris, marcui;*
*Sed non tuæ ſic legis oblitus fui.*
*Quàm pauculi ſunt, quàm breves dies mei!*
*Quando prementur, qui premunt me ferreis?*
*Mihi ſuperbi mille foderunt ſcrobes,*
*Quas haud tuis tu legibus cenſor probes.*
*Sed foderint, non verba convellent tua,*
*In ſorte tantùm me tuetor ardua.*
*Suis ferè me ſubruerunt fraudibus,*
*Sed à tuis non depulêre legibus.*
*Oris tui da, ſumme rector, omnia*
*Servem fideli mente teſtimonia.*

## LAMED.

*Promiſſa facta quæ tuis ſunt in ſolo,*
*Serva, Deus mi, firma ſemper in polo,*
*Dum vaſta mundi permanebit machina,*
*Stabuntq́ue terræ Dædala fundamina.*
*Quæ factor uſq́ue ſuſtines manu tua,*
*Vt audiant te, penſa nec linquant ſua.*
*Verbi tui me ni levaſſet cantio,*
*Crux obruiſſet indigum ſolatio.*
*Ergo ſtatutis haud revellar à tuis,*
*Quibus necis me de lupatis eruis.*
*Servus tuus ſum, ſervulum ſerva tuum*
*Tuis ſtatutis in tuendis ſtrenuum.*
*Vt perderet me, ſtabat hoſtis in viis,*
*Tuis ſed illium fundo teſtimoniis.*
*Vidi perire, quæ vigebant, omnia:*
*Sed, quam dediſti, finis eſt lex neſcia.*

## MEM.

*Legis tuæ me ſemper oblectant viæ,*
*Hæc noſtra totâ cogitatio die.*
*Eam quòd horis uſq; verſo ſingulis,*
*Intelligendo præſto cunctis æmulis,*
*Prudentiorq́; ſum magiſtris omnibus.*
*Tantum tuis mens adjuvatur legibus!*
*Nec me ſenilis præterit prudentia,*
*Legis tuæ ſic iuſſa pernovi pia!*
*Quà ducit error, haud pedes meos tuli,*
*Tuaſq́; leges ſic ad uſum tranſtuli.*
*Quam jus tuum commonſtrat inſtiti viam*
*Vt quis, docente te, tuam legem ſciam.*
*O quàm ſuavis lex meo cordi tua!*
*Quàm mellis inſtar dulcis, & melliflua!*
*Hæc auget illam, quâ fruor, prudentiam.*
*Hinc eſt, quòd odi, falſa quæ docet, viam.*

## NVN.

*Lucerna plantis eſt meis verbum tuum,*
*Idem meorum lux coruſca greſſuum.*
*Iuratus æquitatis cælitis viam*
*Tuiq́; iuris, mi Deus, cuſtodiam.*
*Heu vita mors eſt ad ſolum ſtrati mea.*
*Hac ſorte preſſum me, Deus mi, recrea.*
*Quas ſponte laudis os meum fert hoſtias*
*Ne ſperne, iuris me tui doce vias.*
*Manu ſuperba jugiter gentis premor;*
*Tuæ tamen ſum legis interim memor.*
*Paſſim locârunt, queîs prehendar, retia*
*A lege ſed me non repellunt patriâ*

Here-

Hæreditas hæc noſtra: noſtrum gaudium,
Mæſtiq; cordis plauſus, & ſolatium.
Tua ſtatuta legis æternùm meo
Cordi placebunt, inde flecti non queo.

## SAMECH.

Odi cohortes perditorum devias,
Legiſq; ſanctas diligo ſanctæ vias.
Quo deliteſcam, tu mihi ſcutum, Deus,
Tuumq; verbum tutus eſt umbo meus.
A me caterva ferte greſſus impia,
Nam ſervo ſanctè iura legis patriæ.
Serva tibi me, pacta ſervando, Deus
Vivamq;, nec me fallet optatus meus.
Iuva, Deus mi, quò queam ſalvus tui
Verbi ſuavi perpetim fructu frui.
Tu calce trudis jura qui linquunt tua
Commenta vanâ mente ſectantes ſua.
Vt ſcoriam, ſic caſtra calcas impia,
Hinc dia nobis cara teſtimonia.
Te judicantem pertimeſcens, horrui,
Rigore juris penè perculſus tui.

## AIN.

Ad æquitatis cuncta retuli viam,
At tu prementem me premas calumniam.
Servum tuum me læta fac beet quies,
Ne Sycophanta dente rodat inquies.
Expecto dextra dum tua levamina,
Sperantis ægra torpuerunt lumina.
Tandem roganti te miſertus annue,
Vt æquitatis jura perdiſcam tua.

*Servus tuus ſum, da mihi ſcientiam,*
*Promiſſa legis ut tua planè ſciam.*
*Pœnis malignos, tempus eſt, ut obruas*
*Qui diſsiparunt impiè leges tuas.*
*At me nec auri ſic obryzi copia*
*Oblectat, ut verbi tui myſteria;*
*Ad hæc fugacis dirigo vitæ viam,*
*Viam ſed odi quisquis urget aviam.*

PE.

*Quàm mira legis pacta ſunt tua Deus!*
*Hinc illa jure ſpiritus ſervat meus.*
*Inſpecta ſæpè, ſæpè lecta lex tua,*
*Eſt ad videndum nocte preſsis ianua.*
*Os exerebam, ceu famelicus, meum,*
*Verbum tuum ſic eſuribam melleum!*
*Reflecte læta lætus ad me lumina,*
*Verbo tuo queîs docta cernis agmina.*
*Legis tuæ fac ritè calcem ſemitas,*
*Ne regnet in me peſtilens iniquitas.*
*Diſperde, quæ me lancinat, calumniam,*
*Mandata legis, ut tua cuſtodiam,*
*Servum tuum me fronte lætâ reſpice,*
*Sciamq́ legis ut tuæ ius, effice.*
*Os lacrumarum rore mæſtus oppleo,*
*Verbo tuo cum derogari mæreo.*

SADE.

*Tibi, Deus mi, ſemper adſtat æquitas,*
*Recti per omnes ire prona ſemitas,*
*Iubesq́ cunctos voce mandans ſeriâ,*
*Legis tuæ ſervare teſtimonia,*

Zelo

*Zelo ſeveræ totus iræ tabui,*
*Tua ſtatuta quòd videbam deſpui,*
*Statuta ſancta, recta, pura, mellea,*
*Quæ ſervat, atq; ſemper ardet mens mea.*
*Sim ſpretus, ut ſum, ſim ſuperbis parvulus:*
*Tuum tamen jus uſq; verſo ſedulus.*
*Quà iuſtus es, ſtat finis expers æquitas*
*Tuaq; jus eſt legis ipſa veritas.*
*Crux omnis in me tela diffundat ſua;*
*Cordi tamen lex eſt mihi ſemper tua;*
*Hac fine demto floret, hanc fac ut ſciam*
*Vivamq;, ſi das hanc mihi ſcientiam.*

## KVPH.

*Clamo, vocanti tu benignus annue,*
*Legiq; cuſtos ſemper aſſiſtam tuæ,*
*Intendo vocem, quam benignus audias,*
*Votiq; compos per tuas ferar vias.*
*Prævenit ipſam clamor auroram meus,*
*Nam te, tuoq; jure, nitor, mi Deus.*
*Nocturna nec me vicit hîc cuſtodia,*
*Sic me trahebat cœles eloquentia!*
*Audi vocantem me benignus arbiter.*
*Meaq; vitæ ſubveni benigniter.*
*Feruntur ad me legis oſores tuæ,*
*Secumq; technas fabricæ ferunt ſuæ:*
*Sed me tua ſpes ſuſtinet præſentia,*
*Sacriq; verbi conſcia veri via.*
*Nam nulla poni meta (quod dudum ſcio)*
*Poteſt tuo Iehova teſtimonio.*

## RESCH.

*Aufer, pater mi, vim malorum, quâ premor,*
*Nam ſcis, quòd uſq; ſim tua legis memor.*
*Cauſam meam, tu juſte judex, judica,*
*Ab hoſtibusq; me ſuperbis, vindica.*
*Procul ſalus ſit impiis à cætibus,*
*Tuis vacare quòd recuſant legibus.*
*Novi Deus, quàm mite ſit numen tuum:*
*O recreet me, quæſo, penè mortuum.*
*Multi furenter ore me mordent ſuo*
*Pacto tamen me non revellunt à tuo.*
*Dolore totum corpus æger tabui,*
*Videns tui jus mite verbi reſpui.*
*Et hinc, tuum quàm jus amârim, collige:*
*Ergo jacentem me miſertus erige.*
*Verbi tui vis eſt perennis veritas,*
*Tuumq; jus eſt finis expers æquitas.*

## SCHIN.

*Me principum vis abſq; cauſa territat;*
*At cor meum vim legis almæ cogitat.*
*Nam plus ſtatutis lætor, ô Deus, tuis,*
*Quàm dux rapinâ præliis partâ ſuis.*
*Odi cohortis perfida mendacia,*
*Tuaq; legis pacta diligo pia.*
*Ob hanc tibi me ferre laudem ſepties*
*Et ſæpè vidit, & videbit hinc dies.*
*Pacata mens eſt, lex quibus placet tua:*
*Hi namq; vitâ neminem lædunt ſuâ.*
*A te ſalutis ſpero lætam copiam,*
*Vt qui tuum jus ſedulò cuſtodiam.*

*Tuo frui ſcipoſſe teſtimonio,*
*Eſt ſola noſtra mentis oblectatio.*
*Mandata ſervo, ſervo fœdus melleum,*
*Et jurè, cum tu dirigas iter meum.*

## THAV.

*Audi vocantem, nec precatus reſpue,*
*Pernoſſe poßim pacta legis ut tua.*
*Audi vocantem, ſcandat ad te vox pia,*
*Ceſſentq; fata cruda, ſæva, triſtia.*
*Tunc debitis te præco tollam laudibus*
*Tuisq; paßim diſſeram de legibus.*
*Tuas ſub aſtra laude tollam ſemitas,*
*Vt quæ ſacri ſint ipſa iuris æquitas.*
*Tantùm iuva me mite numen ſtrenuè,*
*Vt obſequentem juſſibus legis tuæ.*
*A te ſalutem ſpero, quam dum quærito*
*Verbo tuo delector, illud cogito.*
*Vt te celebrem, mi Deus, me ſoſpita,*
*Tuaq; legis me iuvabit orbita.*
*Errans ovis ſum, quare ſervum perditum,*
*Nam ſum tui pacti memor Rex cælitum.*

## *PSAL. CXX. Ad Dominum cum, &c.*

Eheu! quam grave cum malis morari!
Præſtat, his ſociis procul, vagari.

SVb mole dura ſortis oravi Deum,
Qui carmen audiit meum.
Idem, doloſa lingua cum me ſauciat,
Meas querelas audiat.
O lingua damni machinatrix impia?
Quæ fraudis aufers præmia?
Scythæ ſagittis lingua virulentior,
Et igne concitatior.
Heu vita dura! qua latronum devia
Trahenda per magalia.
Noſtróne ſemper invidebis ocio,
Peroſa pacem factio?
Tu cum quietem, cum probo concordiam,
Crepas mihi vim Martiam.

## PSAL. CXXI. Levavi oculos meos, &c.

Ad Deum noſtrum precamen,
Vnde mens ſperat levamen.

QVà rigent montes, petentes
Aſtra, verto lumina,
Si, mihi preſſo faventes,
Præbeant levamina,
A Deo noſtrum levamen,
Omnis hinc fiducia,
Huic meum fundo precamen
Qui gubernat omnia.
Hic meos pedes, trahentis
Iuſſa penſa, ſuſtinet:
Hos iter rectum tenentis
Ceſpitare non ſinet.

Non ei blando ſopore
    Victa nutant lumina,
Dum tegit ſuo favore
    Iſraëlis agmina.
I, Deo tutus tuente,
    Quippe mundi præſtite,
Vincit, hoc quisquis tegente
    Arma geſtat adſtite.
Non tibi ſuo calore
    Inferet damnum dies,
Luna nec ſuo rigore,
    Cum fovebit te quies
A malo quovis Tonantis
    Te tuetor dextera.
Numen ejus te juvantis
    Cuncta pellat aſpera,
Cuncta, quæ facis beatis
    Proſperet ſucceſsibus.
Nec, ſequi rectum paratis,
    Deſit unquam greſsibus.

## PSAL. CXXII. Lætatus ſum in his, &c.

Ut mens caſta Deum ſubinde laudet,
Sanctis cætibus intereſſe gaudet.

QUid mihi fibræ ſaliunt, foventes
    Inuſitata gaudia?
Quòd mihi dictum; ſimul hinc frequentes
    Dei petemus atria.

*Iam pedes noſtri Solyma beatæ*
*Beata tangent limina,*
*Hîc ubi portæ benè præparatæ*
*Æterna pandunt numina.*
*Urbi Salem templum ſuperi parentis*
*Et alta iactat mœnia,*
*Hinc & hinc illuc populi frequentis*
*Concurrat ingens copia.*
*Hîc tribus omnes Domini ſacratum*
*Pactum quotannis penſitant,*
*Hîc, Dei nomen profitendo, gratum*
*Carmen Iehovæ cantitant.*
*Regis hîc cælo validè tonantis,*
*Sede perennes nobiles.*
*Regis æterni, pia jura dantis*
*Legesq; cunctis utiles:*
*Urbium matri bona comprecetur,*
*Huic quisquis æquus, ocia,*
*Dicat: urbs ſacris ſacra proſperetur*
*Et huic faventûm copia.*
*Urbium mater bona, te beatæ*
*Beent quietis tempora,*
*Et tuæ ſedis loca cuncta latè*
*Fortuna viſat proſpera.*
*Hoc meus cantus Solymæ frequentes*
*Per urbis angulos vovet;*
*Ob meos fratres, ubi quos agentes*
*Urbs illa maternè fovet:*
*Ob domum ſacram Supero parenti,*
*Cui viſitur par nullibi.*

*In choro templi patrii frequenti,*
*Optabo res lætas tibi.*

## *PSAL. CXXIII. Ad te levavi oculos, &c.*

Contra potentes hîc petunt opem pii.
Sub mole fati devii.

*O Qui piorum murus es aneus!*
*Ad te levavi lumina, mi Deus,*
*In arce qui ſedis polaris*
*Degis, & inde malis minaris.*
*Intentus uni ſervus ut eſt hero,*
*Vt ſerva ſoli fidit hera: mero*
*Sic nos tuo parens amori*
*Fidimus, & ſolito favori.*
*O parce tandem, parce tuo gregi,*
*Nam quò ſines nos usque probris tegi?*
*Rident ſuperbi derelictos,*
*Opprobriisque malis amictos.*
*Heu vita nobis ut gravè tædium!*
*Sannis patemus quando potentium,*
*Ludendo lædit nos acerbè*
*Gentis atrox rabies ſuperba.*

## *PSAL. CXXIV. Niſi quia Dominus, &c.*

Deus Tyrannos frangit ultor impios;
Lædant ut omnes, nemo elidit pios.

*NIſi nobis Deus adfuiſſet ultor*
*(Iſraël Domini fatere cultor)*

*Ni nobis Deus adfuiſſet, illis*
*Sortis dira frementibus favillis*
*Hoſti tunc cibus Iſraël fuiſſet*
*Sic prenſum ferus ille glutiiſſet.*
*Tunc nobis aqua vorticis fuiſſent,*
*Qui vivos quaſi fluctus obruiſſent.*
*Tunc nos gurgitis illius profunda*
*Hauſiſſent, quaſi dira Syrtis, unda.*
*Laus Deo, quia nos iacere fadè*
*Et hoſtis vetuit ſubeſſe præda.*
*Qui nobis laquei fuêre facti,*
*Vltrò diſsiliunt, jacentq; fracti.*
*Hec forti Dominus manu patravit*
*Qui polum Deus & ſolum creavit.*

## *PSA. CXXV. Qui confidunt in Domi. &c.*

Spem tuæ ponas Dominum ſalutis,
Quotquot huic fidunt, licet eſſe tutis.

*SPes quicunq; ſuas in Domino locat,*
*Et Iova dubiis rebus opem vocat,*
*Fortunæ variæ tela minacia*
*Contemnet, velut arx flabra Sionia*
*Nam ceu ſanctæ ſuis celſior hoſtibus,*
*Vrbs ſtat monticulis ſepta virentibus,*
*Sic tutos Dominus quos facit arbiter,*
*His pacis tribuit ſecula jugiter.*
*Hic crudele jugum conterit impii,*
*Ne ſub rege malo degenerent pii.*

*Aſſueſcantq́; ſequi facta nefaria,*
*Quà dux talis eos ducat in avia.*
*Noſter, Iova, parens, turris & anchora,*
*Da clemens miſeris aurea tempora,*
*Rectos corde, tuo protege numine,*
*Lapſanteſq́; gravi ſub cruce ſuſtine.*
*At contrà ſcelerum corda ſequacia,*
*A rectiq́; procul tramite devia*
*Duc, abduc, pereat fax mala ſub cruce,*
*Cum cæco ſtolidæ nequitiæ duce.*
*Noſtra ſumma Deus laudis adorea,*
*Da turres Solymæ pax colat aurea,*
*Da tranquilla tuo ſit populo quies,*
*Da pulſis tenebris pulcer eat dies.*

## PSAL. CXXVI. *In convertendo, &c.*

Vinculis emancipatus,
I Deo fer vota gratus.

*CVm ſator rerum pia liberaret*
*Sancta Sionis agmina,*
*Hoc bono Iacob, quaſi ſomniaret,*
*Ludi putabat lumina,*
*Lacrumis riſus ſubiit, canentûm*
*Deum ſonoris vocibus,*
*Plauſus hic & vox nova geſtientûm*
*Audita paſſim gentibus.*
*Signa quæ nobis Dominus favoris,*
*Et quanta monſtravit ſui!*

*Ergo plaudentes opus hoc canoris,*
*Sonamus hymnis ſtrenuè.*
*Cæteros idem quoq; liberato,*
*Qui dextra torques polum,*
*Totóq; perpeſſos mala recreato,*
*Vt imber aridum ſolum.*
*Semen in terram miſerè gementes,*
*Et lacrumantes miſimus,*
*Vberem meſſem ſed enim metentes,*
*Et geſtientes plaudimus.*
*Pauperum ſic cultor egens agrorum,*
*Flens ſemen in terram jacit.*
*Sed metens plaudit, quoniam honoris*
*Acceßionem tunc facit.*

## *PSAL. CXXVII. Niſi Dominus, &c.*

Divina ſervat cuncta providentia;
Humana cede Numini prudentia.

*NI Iehoua condat ædes*
*Quò ſtruuntur mænia?*
*Ni tegat Iehoua ſedes*
*Quò vigil cuſtodia.*
*Manè quid iuvat tepente*
*Lectulo conſurgere?*
*Quid domum redire lentè*
*Ad quietem veſpere?*
*Non tibi victum labore*
*Tu parabis anxio,*

*Ni Deus ſuo favore*
*Te juvabit prævio.*
*Hic amicis per ſoporem*
*Providet de victibus,*
*Liberisq́ per favorem*
*Hos beat ſuavibus.*
*Tanta merces! tanta rectis*
*Cadit hîc hæreditas!*
*Hæc piorum diu tectis*
*Dona dat benignitas.*
*Haud timenda dextra tantum*
*Martialis agminis,*
*Eſt domus timenda quantum*
*Maſcula propaginis.*
*O beatus! cui gravatus*
*Arcus eſt his ſpiculis.*
*In foro talis citatus*
*Ora claudet æmulis.*

## *PSAL. CXXVIII. Beati omnes, &c.*

Jucunda conjux, læta ſors, proles pia;
Viri pii ſunt præmia.

F*Elicem ter & amplius!*
*Conſtringit Domini quem timor arctius,*
*Ejus ſemper uti viam,*
*Nunquam colluviem, diligat, aviam.*
*Felix es, tibi proſperè*
*Gnava cedet opus (ſponaeo) dextera.*

*Nam Iovæ benedictio,*
*A ſudore procul non aberit pio.*
*Conſors fida tui tori,*
*Certans pacifera gnaviter arbori.*
*Quos fructus thalami tibi*
*Gignet, vitis uti fructificans, ibi!*
*Ad menſam tibi filii*
*Stabunt, conjugii dulce decus pii.*
*Tàm fert nobile præmium!*
*Qui Iovam metuens, nil movet impium.*
*Et te commoda talia,*
*Sponſum miſſa manent arce Sioniâ;*
*Vt per ſecla Mathuſalem,*
*Illis uſus agas ſuaviter in Salem.*
*Quæ cum pacis aget dies,*
*Et te, dulcis erit, quæ ſaturet, quies*
*Natos, huq́; tibi ſatos*
*Cernes materiam lætitiæ datos.*

---

## *PSA. CXXIX. Sæpè expugnaverunt, &c.*

Prematur, eſto, neſcit opprimi pius,
At ejus hoſtis flore tranſit ocyus.

*Dic piorum grex puſille:*
*Mox juventâ ſub meâ*
*Vertit in me bella mille*
*Fax acerba, fellea.*
*Sæpè, res mea puſilla,*
*Sub juventam mox meam,*

Pertu-

Pertulêre fata mille,
    Rettuliq; lauream.
Terga ſævis ſunt notata
    Noſtra tunc vibicibus,
Cum frequens in his arata
    Lira longis tractibus.
Sed Deus memor ſuorum
    Vincla rupit ferrea.
Et ſcidit funes malorum
    Me beans adoreâ
Obruantur ô rubore,
    Qui Sionis atria
Non amant, læto nitore
    Dulcè collucentia.
Marceat Sionis hoſtis,
    Gramen ut mox marcuit
Tecta ſupra, ſole toſtis
    In locis quod floruit.
Vnde nec manus metentis
    Plena fœno redditur,
Nec ſinu gramen legentis
    Herba mollis conditur.
Nec viator comprecatur:
    Iſta vobis jugiter
Vt domi res augeatur,
    Præſtet orbis arbiter.

## *PSAL. CXXX. De profundis, &c.*

Placare per ſe nemo cum poſſit Deum,
Dic quiſque: crimen Chriſtus abluat meum.

*AD te profundâ clamo de voragine,*
*Deprenſus alto flumine,*
*Suſcipe me Domine.*
*Aures benignas da vocantis vocibus.*
*Et de precationibus*
*Flectere ſupplicibus.*
*Nam, ſi velis patrata pœnis plectere,*
*Quis hîc queat ſubſiſtere?*
*Nemo caret ſcelere.*
*At tu parens, ut diligare, patriâ*
*Plorando ſupplicantia*
*Corda leva veniâ.*
*Hinc illa noſtra jugis expectatio,*
*Pendere de te cum ſcio*
*Numine propitio.*
*Te luce totâ, nocte totâ te Deum*
*Patremq; cogito meum*
*Qui miſerare reum.*
*Te quisq; fidat adjuvante, patriâ*
*Ceſſare tu das gratiâ*
*Triſtia ſervitia.*
*Et Iſraëlem liberabis crimine,*
*Tuo miſertus Numine,*
*Fons veniæ Domine.*

*PSAL.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0258-8

## *PSAL. CXXXI. Domine non eſt, &c.*

Pius Deo ſe ſternit, ejus gratiâ
Stans, haud ſuarum virium fiduciâ.

*CVncta qui noſti Deus,*
*Scis ut impotentis*
*Spiritus ſpernat meus*
*Cogitata mentis.*
*Scis in altum lumina*
*Noſtra non levari,*
*Scis mihi molimina*
*Stulta non probari.*
*Fata ſortis aſpera*
*Cum gemens jacebam,*
*Molis hujus pondere*
*Obrutus tacebam,*
*Lacte pulſus à ſua*
*Ceu puer, parentis:*
*Sic opis fui tua*
*Indigus faventis.*
*In Deo ſperet ſuo*
*Germen Iſraëlis;*
*Hunc adi vultu tuo*
*Quisquis es fidelis,*
*Qui ſuis eſt ſervulis*
*Vnicum levamen,*
*Seculorum ſeculis*
*Prædicetur, Amen.*

## *PSAL. CXXXII. Memento Domine, &c.*

Geſtit in his vates Domino ſacrare penates,
Ito per exemplum, Domini cum ſit quoq; templum.

*DAvidis & multi, quem durâ ſorte, laborũ*
*Exhauſit, pater alme, memor ſis omnibus horis.*
*Ille pium fecit tibi, nec violabile, votum,*
*Iacobi Dominum cupiens ſuper æthera notum:*
*Non, ait, ingrediar proprii penetralia tecti,*
*Nec prius aſcendam nocturni ſtragula lecti.*
*Non dulces ſomnos oculis mens ante videbit,*
*Nec mea membra quies mihi dulcis & alta fovebit;*
*Quàm reperire mihi dabitur loca commoda fano,*
*Sacra Deo ſtet ubi, populo procul, arca, prophano.*
*Hac prius Euphrata (nobis ut fama canebat)*
*Hinc denſa ſylva campis obſcura latebat.*
*At nunc certa domus, nunc illi commoda ſedes,*
*Hîc ubi nos alacres ſacras veniamus in ædes.*
*Alme ſubi pater illa tua ſacra tecta quieti,*
*Illic ut populi celebrent tua nomina læti.*
*Turba ſacerdotum probitatis veſte tegatur,*
*Quod pia plebs cernens in plauſus læta feratur.*
*Davidis, oro, mane ſervi memor, & benè functum*
*Munere, quæſo tuum, ſpecta non tetricus unctum.*

Dixit

*Dixti iuratus (neq; te iuraſſe pigebit)*
*In ſolio patrio te natus patre ſedebit;*
*Si mea iuſſa tamen promtâ pietate faceſſet,*
*Nec me prognatâ de ſe cum prole laceſſet.*
*Nam mihi fata bonus delegi tecta Sionis,*
*Hîc mihi læta thronis domus eſt, opulentaq́; donis.*
*Hîc ius tranquilla ſine fine quietis habebo,*
*Hanc unam ſedem legi, lectamq́; tenebo*
*Victibus eius agros largè mea cura beabit,*
*Pauperibusq́; famem mea cura ſitimq́; levabit,*
*Templa ſacerdotes cincti pietate tenebunt,*
*Gaudia plaudentes alii ſub corde fovebunt.*
*Illic producam nova cornua Davide creto,*
*Patre throno gnati claraq́; propagine læto.*
*Hoſtibus illius turpis pudor ora notabit,*
*Gratia cum regem [illegible] mea flore beabit.*

## *PSAL. CXXXIII. Ecce quàm bonum, &c.*

Hîc pulcra pulcrè pingitur concordia,
Fæcunda rerum copiâ.

*QVàm dulce, quàm laudabile,*
*Modisq́; multis utile!*
*Mens una cum concordibus*
*Vires miniſtrat fratribus.*
*Vt mite Balſamum fluit,*
*Ad ima cum pedum ruit,*
*Aronis altum verticem*
*Barbamq́; tingens ſimplicem.*

*Vt res Sionis ardua*
*Irrorat, atq; paſcua*
*Hermonis aptat uſibus:*
*Sic alma pax eſt fratribus.*
*His namq; dia dextera*
*Promiſſa donat munera,*
*His capita cuncta proſperè*
*Iubet Iehovah cedere.*

## PSAL. CXXXIV. Ecce nunc benedi: &c.

Bonis beari qui volunt, ſint ſeduli
Dei potentis ſervuli.

*Laude potentem*
*Ferte parentem,*
*Tangere purè*
*Queis ſacra cura.*
*Tollite veſtras*
*Tollite dextras,*
*Laude potentem*
*Ferte parentem.*
*Sic ſator ille*
*Cedere mille*
*Det bona vobis,*
*Det bona nobis.*

## PSAL. CXXXV. Laudate nomen, &c.

Numina vera fide verâ cole, fictaq; ride.

*Laudes*

Laudes dicite cælitis Magiſtri,
Sacrati vigiles chori miniſtri,
Qui ſtatis Domini domum tuentes
Et, quod is colit, atrium colentes.
Laudes dicite tàm pio parenti,
Pſalmos dicite melleos merenti.
Hic ſervum ſibi legit Iſraëlem,
Et dixit populum ſibi fidelem.
Nemo (ſat ſcio) par Deo, Deorum
Hic calcat decus omne ligneorum.
Hic, quæ vult, facit in ſalo ſoloq́;
Soli nec minus imperat poloq́;.
Pluit, fulgurat, evocatq́; ventos
Haud quaquam ſola pervolare lentos.
Hic Nili pecus, & viros, necavit
Quorum primitius ſibi litavit.
Patrans plurima mira, cum protervis
Regem miſit in antra dira ſervis.
Multas contudit, eruitq́; gentes,
Reges viribus obruens valentes.
Ogus ſentit eum, Seonq́; reges
Cum villa Canaa dat ille leges,
Tradens Iſacidis eam colendam,
Vt hæredibus, & diu tenendam.
Hinc nomen tibi, mi Deus, verendum,
Æternumq́; pio gregi canendum.
Vt qui judiciis premas protervos,
Vindicesq́; tuos ab hoſte ſervos.
At Dii, qui malè gentibus coluntur,
Ex auro manibus fabri ſtruuntur

*Os habent; ſed eo nihil loquuntur,*
*Gaudent luminibus, ſed haud fruuntur.*
*Nullos auribus attrahunt ſonores,*
*Nullos nare cava bibunt odores.*
*Cultorum ſimiles nimis ſuorum,*
*Ludentumq́ ſuos opus fabrorum.*
*At tu nobile germen Iſraëlis,*
*Aroniſq́ domus Deo fidelis,*
*Tum Levi genus, omnium potentem*
*Æternum veneremini parentem.*
*Laudantes Dominum pia Sionis,*
*His regem Solymæ beate donis.*

## *PSAL. CXXXVI. Confitemini Domi: &c.*

Amor canatur ejus & potentia,
Qui cuncta fecit, quiq́; ſervat omnia.

*ITe, confitemini*
*Quiſq́ leni numini,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Ite, confitemini*
*Quiſq́ ſancto numini,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnes neſcia.*
*Confitemini tribus,*
*Imperanti regibus,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia,*

*Qui ſtupenda perficit,*
*Atq; nunquam deficit,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Qui polum, qui ſingulos*
*Struxit arte circulos,*
*Notus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Qui ſolum ſuper citis*
*Firmat undis gurgitis,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Qui creavit lumina*
*Magna, lucis ſemina,*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſcia.*
*Pro die Solem citum*
*Condidit Rex cælitum,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Aſtra nox & Deliam*
*Capit uſurariam,*
*Patris almi gratiâ*
*Terminari neſciâ.*
*Hic Pharon cum primulis*
*Stravit alvi plantulis,*
*Vſus indulgentiâ*
*In fideles patriâ.*

*Iſraëlem ſoſpitem*
*Duxit illinc hoſpitam,*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Aſtra fecit levia*
*Brachii potentiâ,*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Æquor hic rubrum ſcidit*
*Atq; lymphas diffidit*
*Vſus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Iſraëlem per viam*
*Duxit antè deviam,*
*Vſus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Merſit undis impias*
*Cum Tyranno copias,*
*Largus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Tunc eremum deviam*
*Iuſsit eſſe perviam,*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Ille proſtravit duces*
*Efferos, magnos, truces*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*

*Ille fortes ſuſtulit,*
*Ille reges perculit,*
*In fideles patriâ*
*Vſus indulgentiâ.*
*Rex Amorrhæus Seo*
*Victus à noſtro Deo,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Nec Gigas Og conſtitit,*
*Huic Deus cum reſtitit.*
*Cuius indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*
*Ille cæſis hoſtibus*
*Iuſsit ingredi tribus,*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Rapta regibus feris*
*Iſaci dat poſteris,*
*Largus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ,*
*Cum ferus Mars irruit*
*Hic memor noſtri fuit.*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Et redemit nos ibi*
*De malis multis ſibi,*
*Vſus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*

*Qui benignus omnibus*
*Proſpicit de victibus,*
*Largus indulgentiâ*
*Finis omnis neſciâ.*
*Ergo confitemini*
*Tàm benigno numini,*
*Cujus indulgentia*
*Finis omnis neſcia.*

## *PSAL. CXXXVII. Super flumina, &c.*

Eſt luſus in his Babylonis,
Luctus gemitusq́; Sionis.

*CApti propter aquam cum Babylonicam*
*Ferremus rabiem ſæpius beſtiam,*
*Illic primus & imus*
*Sub tantâ cruce flevimus.*
*Illic grata diu nablia liquimus,*
*Aut ramis ſalicis pendula fiximus*
*Lætis quippe Sionis*
*Exuti miſerè bonis.*
*Illic, qui Solyma mœnia ceperat,*
*Aggreſſus miſeros luſibus his erat:*
*Cantillate, Sionis*
*Nobis hîc aliquid ſonis.*
*In terra (breviter reddimus) Ethnicâ*
*Decantare nefas tam pia cántica.*
*His ſolus Deus odis*
*Et lætis canitur modis.*

[Ah ne longa dies, ne mihi ſic eat,
Ex hoc ut Solymas pectore deleat,
Artis neſcia fiat
Hæc, ſi vana, manus, ſciat.
Sim mutus potius, ſi mihi tempore
Tàm longo memori cedere pectore.]
Poſſint regna Sionis
Cum lætis Solyma bonis.
Edomi ſobolis ſis memor, arbiter,
In nos hæc animans caſtra ferociter
Clamabat: properate,
Extirpate, neci date.
Infelix Babylon, cum populo tuo!
Felix! qui referet Marte tibi ſuo,
A te vah male gratâ
Quæ nobis mala ſunt data.
Felix ille quater! pignora qui tua
Allidet ſcopulis prenſa manu ſuâ
Fato nunc pare ride
Sanctorum mala livide.

PSAL. CXXXVIII. Confitebor tibi, &c.

Laudetur bonitas magni memoranda Tonantis,
Frangentis faſtu tumidos, humileſque levantis.

Qui cæli reſides celſus in arcibus,
Te grato referam pectore regibus,

*Te præſens meritis laudibus efferam,*
*De te per populos, hîc, ibi, diſſeram.*
*In templo referam, quæ tua veritas,*
*Quæ ſit, quâ miſeros reſpicis, æquitas.*
*Mox, his quanta tibi cuncta per atria*
*Sit quæſita, Deus maxime, gloria.*
*Nam, quocunque tibi mitto preces die,*
*Tu mentis precibus non gravis anxiæ,*
*Orantem facilis mille bonis beas,*
*Et virtute novâ pectora recreas.*
*Iſthæc carmen erit regibus æquitas,*
*Promiſſumque tenax reddere veritas,*
*Hanc quotquot patulis auribus haurient,*
*Ad laudem populos illius excient.*
*Te trans alta ferent ſidera laudibus,*
*Vt qui tam facilis ſis pater omnibus.*
*Quæ (dicent) Domini, quantaque gratia!*
*Quàm præclara Dei multaque gloria!*
*Templis ille poli ſit licet altior,*
*Quantumvis humiles, adſpicit æquior.*
*Idem, qui ſapiunt alta, gravis premit,*
*Quæſitore Deo, qui fremuit, gemit,*
*At me læta pii gratia numinis,*
*Mortis terrificis eripiet minis.*
*Pro me dextra Dei prælia proſpera*
*Miſcet, fata creans hoſtibus aſpera.*
*Vt cœpit Dominus, ſic bene finiet,*
*Æternumque potens ac bonus audiet.*
*Nec quod fecit opus deſeret, ô quater*
*Felix! propitius cui Deus eſt Pater.*

## *PSAL. CXXXIX. Domine probaſti, &c.*

Vexaris inſons? fide, nil Deum latet,
Cui mira noſtri forma corporis patet.

*Soli ſum tibi, rex ſupreme, totus*
*Si quid audeo, cogitóve, notus.*
*Tu ſcis, quid mea mens paret ſedentis,*
*Refectumq; toro caput moventis.*
*Tu præſens mihi ſemper, in mearum*
*Inquiris varios ſinus viarum.*
*Sermones neq; te latent repoſti,*
*Sic quicquid meditor, paróve, noſti!*
*Tu frontem, mea terga, tu notaſti,*
*Totum quippe manu tua creaſti.*
*Vi nulla rationis aſſequenda,*
*Vt ars hæc tua mi Deus ſtupenda!*
*Ergo quò ferar, ut queam latere,*
*Ne cogar faciem tuam videre.*
*Si cælos peto, tu ſedes in illis;*
*Nec longè Stygiis abes favillis.*
*Si terras volito, vel æquor extra,*
*Clara luciferi veherq; dextra,*
*Illinc me quoq; protrahes latentem,*
*Manum quolibet inferens potentem.*
*Quòd ſi dixero: nocte fors latebo;*
*Nil noctis tenebris agi videbo.*
*Nam nox eſt tibi cuncta providenti,*
*Lucis lampade clarior nitenti,*

*Tu renes mea cuncta tu notaſti,*
*Cum me matris onus mea creaſti.*
*Mens in me ſtupet hoc opus videndo,*
*Hinc plaſta tibi grata ſit canendo.*
*Pars noſtri tibi cuncta, Iova, nota:*
*A te nam mea maſſa facta tota.*
*Tu nondum manibus tuis creata,*
*Vidiſti velut in librum relata.*
*Hoc mens cum mea cernit, obſtupeſcit,*
*Quorum cuncta referre tarda neſcit.*
*Nam maris quoq; plura ſunt arenis,*
*Queîs præſens mihi manè dura lenis*
*Stirpem, ſancte parens, malam revelle,*
*Et quocunq; meis procul, repelle.*
*Dele, qui tibi derogant libenter,*
*Et jactant malè quæ patrant, furenter.*
*Vt tales cane pejus oſor odi!*
*Horum quòd ſcio numen ore rodi.*
*Nam quisquis tuus hoſtis eſt, meorum*
*Cenſetur quoq; fautor æmulorum.*
*Sic an ſim, Deus, ipſe me probato,*
*Cor, renes, animum meum notato,*
*Si par, ſi ſocius fui ſceleſtis,*
*Quæ pravis, mihi ſit parata peſtis.*

## *PSAL. CXL. Eripe me Domine, &c.*

Hic dira Saulis imprecatur aulicis,
Ut fraudis omnis fabricis.

O Ades parens benigne,
Cum dolis turba maligna
Appetor, cum me proterve
Hoſtica premunt caterva.
Corde dira machinantur,
Luce tota congregantur,
Arma me contra parantes
Vimq́ perpetim minantes.
Vtq́ ſunt manu cruenti,
Sic & ore virulenti,
Aſpidum virus vomentes
Atq; plus hydrâ nocentes.
O ades parens benigne,
Atq; ne turba maligna
Præda ſim, ſerva clientem
Hoſtium dolis patentem.
Qui ſcrobes mihi pararunt,
Et locis multis locarunt
Machinas, ad me tenendum
Funibusq́ vinciendum.
O ades parens ſupreme,
Et labantem ſuſtine me,
Servuli vitam precantis
In malis tuere tantis.
Tu mea ſalutis autor,
Tu meus ſol, aura, fautor;
Tu meum ſcutum fuiſte
Sæviente Marte triſti.

*Arma nunc idem meorum*
*Diſsipa, rex, æmulorum,*
*Ne favente ſorte creſcant,*
*Et triumphis intumeſcant.*
*Quod mihi malum parabant,*
*Cum ſuis labris hiabant,*
*In caput vertatur illis*
*Præmium dignum cavillis.*
*Incidat carbo malignis,*
*Deq; cælo miſſus ignis.*
*In ſcrobes cadant profundas*
*Quà ſuas Styx abdit undas.*
*Vir loquax, mendaxq; multum*
*Haud feret nefas inultum.*
*Sorte nec læta fruetur,*
*Sed ſuis technis premetur.*
*Nam Deus vindex piorum,*
*Conteret funes malorum.*
*Pauperéſq; vindicabit*
*Atq; preſſos ſublevabit.*
*Qui malis emancipati,*
*Vota cordis dona grati,*
*Vindici ſolvent canentes*
*Et piè vitam trahentes.*

## *PSAL. CXLI. Domine clamavi, &c.*

Optimum cultum peragi putabis;
Cùm Deo puris manibus litabis.

NE meas voces querentis
Rector orbis rejice,
Sed, morâ pulsâ, gementis
Ejulatus reſpice.
Sic manus puras levantis
Vota te juvent pia,
Thuris ut fumus fragrantis
Sancta per ſacraria.
Ad mei ſeras rigentes,
Pone labri ianuam.
Ne vomens voces nocentes,
Hac & illac perpluam.
Ne ſinas me mancipari
Impiis conatibus,
Nec malignis aggregari
Improborum cœtibus.
Malo pungi percutiq́ue
Candidis à fratribus,
Quàm peti palpo, coliq́ue
A malis ſodalibus.
Qui meis vacare mente
Quòd reclamant vocibus,
De petra cadent repentè
Cum ſuis doctoribus.
Arbor ut quando ſecatur,
Multa ſaltat aſſula:
Oſſa ſic, dum cor gravatur,
Noſtra mutant ſingula.

*Interim pater benigne,*
*Tu tuis ſpes unica,*
*Tu meam vitam maligna*
*Stirpis à vi vindica:*
*Diſsipa caſſes meorum,*
*Iuſte vindex hoſtium*
*Fac fleant, & hoc furorum*
*Auferant ſtipendium.*
*Noſtra verò liberata*
*Mens fovebit gaudia,*
*Cum mali mihi locata*
*Incident in retia.*

## *PSAL. CXLII. Voce mea ad Domi: &c.*

In maximis anguſtiis,
Jehova portus eſt piis.

*CVm ſortis ipſe tundor aſpris cladibus,*
*Te tundo threnis triſtibus*
*Mi Deus, & precibus.*
*Ad te, profuſâ lacrymarum copiâ,*
*Effundo vota miſta*
*Fata gemens gravia.*
*Cum fracta torpet in malis mens anxiis,*
*Paſsimq́; cæcis in viis*
*Appetor inſidiis.*
*Vagos ocellos huc & illuc torqueo,*
*Nullumq́;, qui malo meo*
*Quærat opem, video.*

Nino

*Hinc invocans te, tu mihi (dixi) Deus*
*Dum vivo, tu ſpes, tu meus*
*Murus es, & clypeus.*
*Audi vocatus obruti tot caſibus,*
*Ex hoſtiumq́ꝫ fortibus*
*Erue me manibus.*
*E vinculis me libera, quò patrio*
*Te præco cantem nablio,*
*Cum grege ritè pio.*

## *PSAL. CXLIII. Domine exaudi, &c.*

Injuſtè premeris? tua tolli crimina poſce;
Demum, cui premeris, pœnas ex hoſte repoſce.

*O Parens audi facilis vocantem*
*Et tibi mitis prece ſupplicantem,*
*Pro tuâ, mitis Deus, æquitate*
*Et bonitate.*
*Ne meos actus trutines ſeverè,*
*Quis tuos vultus potis eſt latere?*
*Liber à fœdo quis in hac eremo*
*Crimine? nemo.*
*En meam prenſant animam potentes,*
*En humi ſternunt ſpecubus latentes,*
*Mortuos inter videor locatus*
*Iamq́ꝫ necatus.*
*Vnde cor cura cruciant amara,*
*Spiritus triſtis renuit vacare*

Gaudio, fractus gravidâ meorum
Mole malorum.
Temporum ſed cum memini priorum,
Cuncta perpendens operum tuorum;
Mens redit, curâ fugiente, queſtus
Cedit & aſtus.
Ad tuas exinde manus anhelo,
Te voco, tellus uti ſicca cælo
Devocat rorem, pereunt ephebo
Cum ſata phœbo.
O potens audi genitor gementem
Spiritum vix vix traho; ſi faventem
Occulis vultum, ruo ſub meorum
Mole malorum.
Manè clamantem Deus æquus audi,
Hoc tua cedet ſine fine laudi,
Si tuâ fretum bonitate dira
Subtrahis ira.
Fac ſciam, quæ ſit via recta vitæ,
Palma quà metæ petitur cupitæ,
Duc, mone, te Iova, piâ colentem
Mente clientem.
Diſſipa fraudes, Pater alme, mille
Quas ferox in me parat hoſtis ille.
Nam tibi fido validum parenti
Robur habenti.
Quid velis à me fieri, moneto,
Nam meus dux & Deus es, doceto
Me pia flatus tuus ire vitæ
Tramite ritè,

*Vt tuum nomen celebretur uſq;.*
*Quod tuis adſis facilis bonusq;.*
*O leva laſſum rapidaq; pelle*
*Flabra procellæ.*
*Æquitas ut ſit tua nota mundo.*
*Qui premunt me, merge lacu profundo,*
*Et tuum ſervum bonus à caterva*
*Duplice ſerva.*

## *PSAL. CXLIV. Benedictus Domin: &c.*

Vires, triumphi, regna, dantur cælitus,
Illinc precetur proſperos rex exitus.

*LAudetur Dominus, qui me regit in meis duellis*
*Et dat, ſit hac ut dextra ſalva bellis.*
*Hic meus aſſertor, ſpes hic mea, ſolus hic potentes,*
*Mihi coëgit ſubiacere gentes.*
*Quantulus ô rerum pater, eſt homo? quem tamen tuere*
*Nulloq; ceſſas hunc die fovere.*
*Quàm brevis eſt vita! flos, ros, homo, fumus, umbra, bulla,*
*Non arte mortis tela vitat ullà.*
*O deſcende tuo cælo Deus! ut timere ſontes,*
*Tactosq; cernas fumigare montes.*
*Fulgura per cælos tua trajice, jam malos fugabis,*
*Tuiq; telis fulminis necabis.*
*At tua me faciet tutum manus à mari malorum,*
*Et è manu tot hoſtium meorum.*
*Qui faciunt malè, qui dicunt malè, vanitas in ore*
*Eis, in omni vanitas labore.*

*Tutus ab his per te puri tibi pura Vota cordis*
*Decem ſonabo, Rex ſupreme, chordis.*
*Quae reges Vitâ dones bonus, atq; liberâris*
*SerVum tuum me de malis amaris.*
*Eripe me turbis, quarum malè Vanitas in ore*
*Reſedit, inq; quolibet labore.*
*Da ſoboles nobis ſit florida, plantula Virentis*
*Tholiq; more templa ſuſtinentis.*
*Da cornu nobis ſit copia, ſint oVes frequentes,*
*Caulas heriles fœtibus replentes.*
*Sint nitidi tauri, bellum procul, & procul tumultus,*
*Procul fames ſit, ſqualidúſq; cultus.*
*Felicem populum dicunt, bona tanta cui tenentur,*
*Feliciores, qui Deum Verentur.*

## *PSAL. CXLV. Exaltabo te Deus, &c.*

Dei paternæ plaudit hîc curæ piè,
Pro qua perenne vult agantur gratiæ.

*TE regem Dominumq́; prædicabo.*
*Te, dum Vita manet, Deus ſonabo*
*Qua lux cunq; mihi nitebit*
*Nomen cuncta tuum cani Videbit.*
*Nam quæ ſit tibi laudis amplitudo!*
*Quæ potentia! quanta magnitudo!*
*Cantabunt ſoboli ſua parentes,*
*Factaq; mirâ tua manus ſtupentes.*

Nec laudes mea vox tuas tacebit.
Huic vis mira manus tuæ patebit
Hic, virtus tua quanta ſit, loquetur,
Huic major Deus orbe ſuccinetur:
Tuam pars bona gratiam ſonabit,
Cum iuſtum facilemq; prædicabit.
Tu largus venia ſcelus tegendo,
Et tardè malefacta puniendo.
Sed, quæ mira tamen moventur à te,
Nil eſt ſplendidius benignitate.
Hanc totus canit orbis, at tuorum
Inprimis pia caſtra ſervulorum.
Hi regnum celebrant tuum, tuamq;
Gloriam memorant, potentiámq;.
Regni quò niteat tui poteſtas,
Et quæ ſceptra manu potente geſtas.
Semper imperium tuum niteſcit,
Metas ponere cui ſenecta neſcit.
Tu tollis facili manu jacentes,
Aliſos reficis, levas cadentes.
Te cibum rogat omne, quod creatum,
Et in tempore colligit paratum.
Cunctis dat tua dextra, quo cibantur,
Et, cum panditur illa, recreantur.
Tu, quodcunq; facis, gerisq;, cunctum,
Vt ſanctum, tulit omne, fertq; punctum.
Tu præſens bibis aure, quæ colentes
Te caſtis precibus rogant clientes.

*Tu, qui te metuunt, amantq́ue, ſervas*
*Ut caras tibi jugiter catervas.*
*Sic bonis bonus, impios repellis,*
*Æternisq́ue premis mali flagellis.*
*Hoc de te Deus os meum loquetur,*
*Idem jugiter omnibus canetur.*

## *PSAL. CXLVI. Lauda anima mea, &c.*

In regibus ſpem qui locat, fruſtra locat;
Beatus eſt, ſpem qui ſuam Deum vocat.

*HUc mea vires vacate,*
*Mentis huc fibra citata.*
*Ferte laudibus Deum*
*Regem meum.*
*Hunc meâ linguâ ſonabo,*
*Huic lyrâ dulci litabo,*
*Dum licebit hoſpiti*
*Hîc ſoſpiti.*
*In Tyrannis inquietis,*
*Spem ſuperbam ne locetis,*
*Non fugant ulli duces*
*Duras cruces.*
*Spiritus cum liquit oſſa,*
*Corpus urget terra foſſa,*
*Quaq́ue cogitaverant*
*Non ſunt, erant.*
*At beatus ille demum,*
*Qui patrem Patrem ſupremum*

*Experitur caſibus*
*In omnibus.*
*Qui poli factor ſoliq́;,*
*Quicquid & vides ubiq́;*
*Dicta cuius omnia*
*Fidelia.*
*Qui levat preſſos clientes*
*Et cibat victus egentes*
*Datq́; vinctis carcere*
*Diſcedere.*
*Qui facit cæcos videre,*
*Morbidis qui dat valere*
*Æquus æquos diligens*
*Ac dirigens.*
*Advenas ſervat miſellos,*
*Et fovens orbos puellos*
*Perdit omnes impia*
*Technas via.*
*Illius juges habenæ,*
*Qua Sion virens amanè.*
*Tecta ducit proſpera*
*Sub ſidera.*

## PSAL. CXLVII. Laudate Domin: &c.

Dei parentis gratiam recogita,
Ad gratiaſq; te; tuoſq; ſuſcita.

*IN Domini laudes aſſurgite, namq́; canoris*
*Eſt dignus pſalmis Deus, eloquiisq́; decoris.*

Qui reparat Solymæ ſibi mœnia, disq́ȝ ſipatas
Iſacidum gentes revocans facit eſſe beatas.
Qui cruce preſſa juvat contritaq́ȝ corda levando
Vulnera noſtra fovens medicus, recreansq́ȝ ligan-
do,
Qui ſtellis numeros autor qui nomina fecit,
Iam tum cum mundi fundamina primula iecit.
Tanta Dei virtus! ſapientia tanta Tonantis!
Vt nequeat promi numeris pia metra ſonantis.
Erigit ut preſſos bonus ille, levatq́ȝ jacentes;
Sic affligit humi reprobos, faſtuq́ȝ tumentes.
Huic igitur laudes gremio depromite cordis,
Et meritas grates Cythara perſolvite chordis.
Qui cœli vultum tegit atrâ nube ſerenum.
Quosq́ȝ rigat montes, cogit producere fœnum.
Pabula jumentis qui ſufficit alma rogatus,
Et corvis eſcam vocitantum voce vocatus.
Quem neq́ȝ magnanimum juvat ingens robur
equorum,
Nec latis humeris corpus, roburq́ȝ virorum.
Sed quibus eſt cordi pietas, numenq́ȝ verentur.
Et ſpe de Domini patriâ pietate foventur.
Hunc igitur regem Solymæ celebrate canendo
Tuq́ȝ Sion laudum meritarum vota ferendo.
Qui tibi quiq́ȝ tuis cavet à diſcrimine portis.
Vnde bona cives cumulantur munere fortis.
Quiq́ȝ tuos fines beat alma munere pacis,
Proventuq́ȝ ſoli facit horrea plena feracis.
Qui ſimul eloquio ſola torrida calite tundit.
Terra parens ibi dona penu ſua divite fundit.

*Qui nivibus montes operit, ceu vellere lanæ,*
*Vt cinerem iaciendo pruinæ ſpicula canæ,*
*Qui glaciem cælo ſolidarum mittit aquarum,*
*Vt non ſuſtineant mortales frigus earum.*
*Qui mittit ventos verbi virtute tepentes,*
*Et jubet haud lentos glacies difflare rigentes,*
*Qui ſacra Iacobi docuit cæleſtia gentem,*
*Huic per ſigna ſuam monſtrans illuſtria mentem.*
*Haud tantum Domini ſenſit gens ulla faverem,*
*Tàm merito meritum grex ſanctus reddat amorem.*

## PSAL. CXLVIII. Laudate Dom: &c.

Rerum Pſalmus hic univerſitatem,
Dei dicere vult benignitatem.

*LAudate patrem cælicum vos calites,*
*Magni Tonantis alites.*
*Laudate Iovam vos miniſtri ſpiritus,*
*Dei potens exercitus.*
*Laudate Iovam bina cæli lumina,*
*Et tota mundi machina.*
*Laudate Iova nomen orbes calites,*
*Caléſq; ſupra gurgites.*
*Laudate Iova nomen, hic quod juſſerat,*
*Illud creatum mox erat.*
*Idem tuetur, quæ creavit, fortiter,*
*Hinc juſſa ſtabunt jugiter.*
*Laudate Iovam quotquot alti gurgitis,*
*Profunda cete finditis.*

*Ignis, procella, nixq́ mixta grandini,*
*Parere ſueta Numini.*
*Et arbores, ſeu montibus rigeſcitis.*
*Seu collibus miteſcitis.*
*Pecusq́ cunctum, beſtiaq́ reptiles,*
*Et alites volatiles.*
*Omnesq́ reges, catus omnis, omnium*
*Caterva cuncta gentium.*
*Laudate Iovam, cuius almum ſolius*
*Eſt nomen aſtris altius.*
*Piis eundem cantet Iſraël modis,*
*Ab hoc tot auctus commodis.*

## *PSAL. CXLIX. Cantate Domino, &c.*

Deus canatur, Marte partâ laureâ,
Beet frequenter ut pios adoreâ.

*GErmen Hebrea celebrato gentis,*
*Nove Tovantem carmine,*
*Ejus in ſancto populi frequentis,*
*Laudes canantur agmine,*
*Iſraël, veris cumulate donis,*
*Autore ſis latus tuo,*
*Filia pulcra nivea Sionis,*
*Se rege delectent ſuo,*
*Illius nomen celebrent decoris*
*Chori frequentis plauſibus,*
*Tympanis illum celebrent ſonoris,*
*Pſalteriisq́ dulcibus,*

*Nam favet turbæ Dominus ſuorum,*
*Eam paternè diligens,*
*Subq́; multorum pelago malorum,*
*Cum merſa nutat, erigens:*
*Vt piè partis titulis honorum,*
*Pulcro niteſcat in foro,*
*At domi læto cumulo bonorum*
*Lætetur incubans toro.*
*Ore quò veras Domini ſonando,*
*Laudes perennè prædicet,*
*At manu ſævos gladios rotando,*
*Accepta damna vindicet.*
*Dum truces ſæva feritate gentes*
*Vincat, retundat, opprimat,*
*Et nimis faſtu ſtolido tumentes,*
*Iraq́; vanâ comprimat.*
*At pedes regum validis gravatos,*
*Arctè catenis vinciat,*
*Nobiles porrò manicis ligatos,*
*Et jam trementes, puniat.*
*Vt piè certis ſtatuunt ſacrata*
*Præſcripta legis regulis.*
*Laus piè gentis micat iſta latè,*
*Cunctis in orbis angulis.*

## *PSAL. CL. Laudate Dominum, &c.*

Creata cuncta voce, nablis, tympanis,
Deum celebrent, atq; cunctis organis.

*PRadicate præpotentem,*
*Qui poli ſirmat patentem,*
*Unus omnem cardinem.*
*Nomen ejus prædicate,*
*Et potentiam ſonate,*
*Atq; magnitudinem.*
*Huic tuba ſonent ſonora,*
*Huic lyra canant canora,*
*Huic ſtrepat pſalterium.*
*Tympanum clangat chorúſq;*
*Organum tangatur uſq;*
*Et ſonet numen pium.*
*Cymbalum ſonans Parentem,*
*Laudet uſq; præpotentem.*
*Iubilando ſuaviter.*
*Quicquid eſt ubique rerum,*
*Cantet antiquum dierum,*
*Et celebret jugiter. Amen.*

Θεῷ δόξα.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0289-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0290-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0291-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0292-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0293-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0294-1

B413 (11)

ULB Halle 3
007 103 581

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0295-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0296-3

M. JOHANNIS

# CAMPANI VODNIANI

ODARUM SACRARUM,

*LIBER PRIOR*

Pſalmos Davidicos continens.

Gerhardus Mar-
shalck menſe
Iunio Ao 1620

Carol Heinis
Bos.

AMBERGÆ,

Apud Johan. Schönfeldium.

ANNO M. DC. XIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595499-p0297-9